

ÉRTEKEZÉSEK

A NYELV- ÉS SZÉPTUDOMÁNYOK KÖRÉBŐL.

KIADJA A MAGYAR TUD. AKADÉMIA.

AZ I. OSZTÁLY RENDELETÉBŐL

SZERKESZTI

SZINNYEI JÓZSEF

OSZTÁLYTITKÁR.

XXIII. KÖTET. 8. SZÁM.

CONIECTURÆ AD EMENDANDUM FIRMICUM MATERNUM ASTROLOGUM

SCRIPSIT

GEYZA NÉMETHY

ACADEMIÆ LITTERARUM HUNGARICÆ SODALIS ORDINARIUS

COMMENTATIO IN CONSESSU ACADEMIÆ LITT. HUNG.

DIE 16. APR. ANN. 1917. REGITATA

Ára 5 korona

BUDAPEST

1918

Értekezések a nyelv- és széptudományok köréből.*

- I. k. I. Télyf**: Solon adótörvényéről. 20 f. — **II. Télyf**: Adalékok az attikai törvénykönyvhöz. 20 f. — **III. Tárkányi**: A legújabb magyar Szentírásról. 40 f. — **IV. Szász K.**: A Nibelungének keletkezéséről és gyanítható szerzőjéről. 20 f. — **V. Toldy F.**: Tudománybeli hátramaradásunk okai, s ezek tekintetéből Akadémiánk feladása. 20 f. — **VI. Vambéry**: A keleti török nyelvről. 20 f. — **XI. Bartalus I.**: A felsőaustriai kolostoroknak Magyarországot illető kézíratai- és nyomtatványairól. 40 f. (1867—1869.) — **II. k. V. Télyf**: Solomos Dénes költeményei és a hétszigeti görög népnyelv. 40 f. — **VIII. Gr. Kuun G.**: A sémi magánhangzókról és megjelölésök módjairól. 40 f. — **IX. Szilády**: Magyar szöfejtegetések. 20 f. — **XII. Szvorényi J.**: Emlékbeszéd Árvay Gergely felett. 20 f. (1869—1872.) — **III. k. III. Szabó I.**: Emlékbeszéd Bitnitz Lajos felett. 20 f. — **V. Finaly**: Emlékbeszéd Engel József felett. 20 f. — **VII. Riedl Sz.**: Emlékbeszéd Schleicher Ágost, külső 1. tag felett. 20 f. — **VIII. Dr. Goldziher I.**: A nemzetiségi kérdés az araboknál. 60 f. — **IX. Riedl Sz.**: Emlékbeszéd Grimm Jakab felett. 20 f. — **X. Gr. Kuun G.**: Adalékok Krim történetéhez. 40 f. (1872—1873.) — **IV. k. I. Brassai**: Paraleipomena kai diorthoumena. A mit nem mondtak s a mit rosszul mondtak a commentatorok Virgilius Aeneise II-ik könyvéről különös tekintettel a magyarra. 80 f. — **V. Dr. Goldziher I.**: Jelentés a m. t. Akadémia könyvtára számára keletre hozott könyvekről, tekintettel a nyomdai viszonyokra keleten. 40 f. — **VI. Hunfalvy P.**: Jelentések: i. Az orientalistáknak Londonban tartott nemzetközi gyűléséről. — **ii. Budenz J.**: A németországi philologok és tanférfiak 1874-ben Innsbruckban tartott gyűléséről. 30 f. (1873—1875.) — **V. k. V. Szász K.**: Emlékbeszéd Kriza János l. t. felett. 50 f. — **VI. Bartalus I.**: Művészet és nemzetiség. 40 f. — **VIII. Barna F.**: A mutató névmás hibás használata. 20 f. — **IX. Imre S.**: Nyelvtörténelmi tanulások a nyelvújításra nézve. 1 K 20 f. — **X. Arany L.**: Bérczy Károly emlékezete. (1875—1876.) — **VI. k. I. Mayr A.**: A lány aspiraták kiejtéséről a zendben. 20 f. — **IV. Dr. Goldziher I.**: A spanyolországi arabok helye az iszlám fejlődése történetében, összehasonlítva a keleti arabokéval. 1 K. — **V. Szász K.**: Emlékbeszéd Jakab István l. t. fölött. 20 f. — **VII. Bartalus**: Emlékbeszéd Mátray Gábor l. t. felett. 20 f. — **VIII. Barna**: A mordvaiai történelmi viszontagságai. 40 f. — **IX. Télyf**: Eranos. 40 f. (1876.) — **VII. k. VI. Télyf**: Rankavis Kleon új-görög drámája. 60 f. — **VIII. Ballagi M.**: Emlékbeszéd Székács József t. tag fölött. 40 f. (1877—1879.) — **VIII. k. III. Dr. Genetz A.**: Orosz-lapp utazásomból. 40 f. — **VII. Mayer A.**: Az úgynevezett lány aspiraták phonetikus értékéről az ó-indben. 1 K 20 f. (1879—1880.) — **IX. k. I. Budenz J.**: Emlékbeszéd Schiefner Antal k. tag felett. 20 f. — **III. Ballagi M.**: Nyelvünk újabb fejlődése. 40 f. (1880—1881.) — **X. k. III. Hunfalvy P.**: A M. T. Akadémia és a szuomi irodalmi társaság. 40 f. — **IV. Joannovics**: Értsük meg egymást. 60 f. — **V. Ballagi M.**: Baranyai Decsi János és Kis-Viczay Péter közmondásai. 20 f. — **VI. Dr. Pecz V.**: Euripides tropusai összehasonlítva Aeschylus és Sophokles tropusaival. 1 K 20 f. — **VII. Szász K.**: Id. gróf Teleki László ismeretlen versei. 20 f. — **VIII. Bogisich M.**: Cationale et Passionale Hungaricum. 60 f. — **IX. Jakab E.**: Az erdélyi líralírodalom története 1848-ig. 1 K. — **X. Heinrich G.**: Emlékbeszéd Klein Lipót Gyula kültag felett. 80 f. — **XI. Bartalus**: Újabb adalékok a magyar zene történelméhez. 80 f. (1882.) — **XI. k. I. Hunfalvy P.**: Ugor vagy török-tatár eredetű-e a magyar nemzet? 40 f. — **II. Télyf**: Újgörög irodalmi termékek. 80 f. — **III. Télyf**: Középkori görög verses regények. 60 f. — **IV. Dr. Pozder K.**: Idegen szók a görögben és latinban. 1 K. — **V. Vambéry**: A csuvasokról. 60 f. — **VI. Hunfalvy P.**: A számlálás módjai és az év hónapjai. 40 f. — **VII. Majláth B.**: Telegdi Miklós mester magyar catechismusa 1562-ik évből. 20 f. — **VIII. Dr. Kiss I.**: Káldi György nyelve. 1 K. — **IX. Goldziher**: A muhammedán jogtudomány eredetéről. 20 f. — **X. Barna F.**: Vambéry Ármin «A magyarok eredete» című műve néhány főbb állításának bírálata. 1 K 20 f. — **XI. Ballagi M.**: A nyelvfejlődés történelmi folytonossága és a Nyelvőr. 40 f. — **XII. Vambéry**: A magyarok eredete és a finn-ugor nyelvészet. I. 60 f. (1883—1884.) — **XII. k. I. Dr. Kont I.**: Seneca tragédiái. 1 K 20 f. — **II. Dr. Nagy**

* A hiányzó számok már elfogytak.

CONIECTURÆ AD EMENDANDUM
FIRMICUM MATERNUM ASTROLOGUM

SCRIPSIT

GEYZA NÉMETHY

ACADEMIÆ LITTERARUM HUNGARICÆ SODALIS ORDINARIUS

COMMENTATIO IN CONSESSU ACADEMIÆ LITT. HUNG.

DIE 16. APR. ANN. 1917. RECITATA

BUDAPESTINI

SUMPTIBUS ACADEMIÆ LITTERARUM HUNGARICÆ

MCMXVIII

1800-1810

1810-1820

1820-1830

1830-1840

1840-1850

FRANKLIN-TÁRSULAT NYOMDÁJA.

Coniecturæ ad emendandum Firmicum Maternum astrologum.

Scriptorem, in quo aliqua ex parte emendando pro viribus elaboravimus, viri docti per longum tempus mire atque inmerito neglexerunt. Nam ex quo astrologus noster primum Venetiis anno 1497. apud Symonem Bivilacquam, deinde ibidem an. 1499. apud Aldum Manutium, tum Rhegii Lingobardiæ expensis et labore Francisci Mazalis, denique Basileæ an. 1533. et 1551. a Nicolao Prucknero nulla cura aut eruditione adhibita editus in lucem prodierat, per aliquot sæcula nemo, qui *Matheseos* eius libros via ac ratione quæ vocatur philologica recensere operæ pretium putaret, inventus est neque ea multa sunt, quæ recentiores ad eum interpretandum et emendandum contulerunt. Quamquam, quantum ex hac negligentia dannum acceperint litteræ, vel ex eo elucet, quod lexica nostra, ne maximis quidem atque optimis exceptis, multa, quæ Firmico Materno propria sunt, falso explicant, plura silentio prætereunt. Quantopere autem astrologiæ veteris cognitio promoveretur, si diligentius tractaretur hic misellus, non est quod moneam, præsertim cum plurimi auctores eius ad nostram ætatem non pervenerint.

Nos igitur tempus adesse rati, ut tandem aliquando corrigere-mus tot sæculorum iniuriam neque iam amplius haud levissimi argumenti libros mendis scattere manifestis pateremur, iam anno 1889. edidimus nostras *Quæstiones de Firmico Materno astrologo*, ubi multas publici iuris fecimus coniecturas ad *Matheseos* II. VIII.¹⁾

¹⁾ Ceterum hæc commentatio (Buda pestini, ann. 1889.) ex duabus constat partibus: I. Emendationes in Firmicum Maternum astrologum; II. De Firm. Mat. Manilii sectatore.

Quod quamvis «periculosæ plenum opus alexæ» fuerit, antequam codices ea, qua par erat, cura cum editionibus collati essent, tamen, cum iam ex iis, quæ de libris manuscriptis viri docti eo usque exposuissent, satis perspectum haberem non omnia posse ab eorum auxilio sperari, temptavi fortunam non sine ullo fructu: complures enim emendationes meæ in hac commentatione expositæ postea testimoniis codicum ab editoribus recentioribus excussorum comprobatæ sunt.¹⁾

Iniuriam temporum, de qua in meo libello conquestus eram, corrigere primus animum induxit *Carolus Sittl*, qui anno 1894. ad codicum fidem edidit primos quattuor libros²⁾ reliquosque brevi se editurum promisit. Quam editionem inter alios ego quoque gravi censuræ subieci in Actis Philologicis Berolinensibus,³⁾ ubi hunc in modum exposui meam de recensione Sitteliana sententiam: «Es ist übel um den überlieferten Text bestellt, auf den sich *Sittl* in seiner Ausgabe stützt; auch befolgt er ein recht bequemes kritisches Verfahren, und es scheint, dass er sein ganzes Werk überhastet hat. Er begnügt sich damit, den überlieferten Text der Handschriften mitzuteilen und versucht nur an den leichtesten Stellen die richtige Lesart herzustellen. Den älteren griechischen und lateinischen Quellen des Firmicus forscht er überhaupt nicht nach, in seinem kritischen Apparat suchen wir umsonst ein Alinea über die *Auctores*. Auch dieses wirksame Mittel der Emendierung lässt er sich also entgehen. Von noch grösserem Übel ist, dass er die Korruptelen nur hie und da mit einem Kreuze bezeichnet; an manchen Stellen nimmt er die Verderbnis nicht wahr oder er vergisst sie hervorzuheben, so dass der minder kritische Leser auf den Holzweg gerät. Die zahlreichen Lücken der Handschriften finden wir wohl bezeichnet; aber eine Ergänzung wird selten versucht, sowie auch eine wichtige Art der Emendierung, die Vergleichung mit Parallelstellen desselben Autors ausser Acht gelassen wird. Kurz, der von *Sittl* dargebotene Text ist noch nicht lesbar und seine Ausgabe

¹⁾ De libello meo benevole tulit sententiam *H. Dressel*, auctor adnotaticum lexicalium ad Firm. Mat. (Gymn. Program. Zwickau 1882) in *Wochenschrift für klassische Philologie*, an. 1889. p. 1317.

²⁾ *Julii Firmici Materni Matheseos libri VIII*. Primum recensuit *Carolus Sittl*. Pars I. Libri I—IV. Lipsiæ, in ædibus B. G. Teubneri, MDCCCXCIV.

³⁾ Cf. *Berliner Philologische Wochenschrift*, t. XV. ann. 1895. p. 908.

hat nur das Verdienst, dass sie uns den überlieferten Text gibt und als Grundlage der ferneren kritischen Behandlung dienen kann; eine verlässliche Stütze zu anderen, auf Firmicus bezüglichen Forschungen — sei es auf lexikalischem oder auf sachlichem Gebiet — ist sie uns leider nicht.»

Tum *Sittl*, hoc iudicio atque aliis similibus permotus, editionem suam imperfectam reliquit novamque recensionem præparare inceperunt *Guilelmus Kroll* et *Franciscus Skutsch*, cuius operis prima pars, libros I—IV. Firmici continens, in lucem prodiit anno 1897.¹⁾ Nos autem iam ante hanc editionem publici iuris factam, cum purgare Augiæ stabulum non unius hominis esse putaremus, condicionem codicum manuscriptorum ex libro *Sittelii* cognoscentes auctoris vulnera divinaudo sanare locosque misere dilaceratos novis coniecturis explicare conabamur in commentatione anno 1895. edita, quæ inscribitur *Novae emendationes in Firmicum Maternum astrologum*, quibus socii epistularum commercio iuncti munus in consessu Academiae Litterarum Hungaricæ die 5. Novembris anni 1894. sollempniter auspicatus sum.²⁾

De opere autem *Krollii* et *Skutschii* sollerti cura et admirabili diligentia facta ita iudicavi in Actis Hebdomadali Philologiæ (Classicæ: ³⁾) «*Sittl* hat die Fortsetzung seiner Arbeit gänzlich aufgegeben und so mussten zwei Breslauer Gelehrte, *W. Kroll* und *F. Skutsch*, ebenfalls für die Teubnersche Bibliotheca, eine ganz neue Recension vorbereiten, von der bisher der erste Band erschienen ist. Wir können aber schon jetzt mit Genugthuung konstatieren, dass diese Ausgabe allen Anforderungen einer billigen Kritik entspricht. Vor allem ist der grosse Fleiss der Herausgeber in der Sammlung des handschriftlichen Materials zu loben. . . . Übrigens müssen wir auf dieses reiche handschriftliche Material später noch

¹⁾ Julii Firmici Materni Matheseos libri VIII., ediderunt *W. Kroll* et *F. Skutsch*. Fasciculus prior libros IV. priores continens. Lipsiæ, in ædibus B. G. Teubner MDCCCXCVII.

²⁾ Etiam de hac commentatione, quæ publici iuris facta est in Actis Societatis Philologorum Budapestinensis (*Egyetemes Philologiai Közlöny*, tom. XIX. ann. 1895. p. 1—15 et 353—366.), faventer iudicavit *H. Dressel* supra commemoratus in *Wochenschrift für klassische Philologie* ann. 1895. p. 747. his verbis: «Verbesserungen, die meist ohne Zweifel das Richtige treffen.»

³⁾ Cf. *Wochenschrift für klassische Philologie*, t. XVI. ann. 1899. p. 45.

einmal zurückkehren bei der Besprechung des zweiten Bandes, denn die Herausgeber wollen die ausführlichere *Præfatio* erst in diesem Bande geben; dort hoffen wir auch über die Quellen des Firmicus etwas mehr erfahren zu können. Vorläufig können wir nur sagen, dass der kritische Apparat überall die sorgfältigste Benutzung der Handschriften zeigt und einen klaren Begriff von der Überlieferung gibt. Die wichtigste Aufgabe ist aber vor allem den unglaublich korrumpierten Text endlich einmal verständlich zu machen. Zwei Arten der Verderbnis finden wir am häufigsten, Korruptelen und Lücken. Durch Heranziehung von Parallelstellen kann bei einem beträchtlichen Teil geholfen werden, so dass wir in der Lage sind den Firmicus durch ihn selbst zu emendieren. Denn die Herstellung eines verlässlichen Textes ist, wie ich es in meinen auf Firmicus bezüglichen Arbeiten öfters ausgesprochen habe, ohne die weitgehendste Anwendung der Konjekralkritik nicht möglich. Diese Ansicht hat sich in dieser neuesten Ausgabe bewahrheitet, wo jede Seite die fleissigste emendatorische Tätigkeit der beiden Herausgeber bezeugt. Es ist ihnen wirklich gelungen, teils durch evidente Emendationen und wahrscheinliche Konjekturen, teils durch glückliche Ergänzungen, den ersten lesbaren Firmicustext zu geben. Dass trotzdem noch viel zu tun übrig geblieben ist, soll das Verdienst der Herausgeber nicht vermindern, denn so einen Augiasstall kann nur eine Schar von Spezialforschern mit vereinten Kräften wieder rein machen.»

Quare in *Actis Societatis Philologorum Budapestinensis*, labore Krollii et Skutschii fultus, iterum coniecturas edidi quæ inseribuntur: *Spicilegium criticum in Firmico Materno astrologo*,¹⁾ his verbis exorsus: «Nunc tandem artis criticæ via quadam ac ratione exercendæ firma iacta sunt quasi fundamenta, quibus confisi nos quoque ad emendandum scriptorem aliquid pro virili parte conferre animum induximus. Itaque ad pristinum amorem reversi locos astrologiæ corruptos, quos sanare non unius hominis est, denuo tractabimus.»²⁾

¹⁾ Cf. *Egyetemes Philologiai Közlöny*, tom. XXII. ann. 1898. p. 1. sqq.

²⁾ De hac mea commentatione faventer iudicavit alter editorum Firmici, *Guil. Kroll* in *Wochenschrift für klassische Philologie* (tom. XVI. ann. 1898. p. 1374) his verbis recensionem finiens: «Hoffentlich setzt Némethy seine Firmicusstudien mit demselben Eifer und Erfolge fort.»

Sed vere habent sua fata libelli! Tomus enim alter editionis Krollii et Skutschii, a viris doctis per annos singulos cupidissime expectatus, sedecim post priorem editum annis tandem aliquando lucem adspexit.¹⁾ Nunc primum igitur possumus Firmicum sine magnis difficultatibus perlegere totum atque sociatis viribus emendare. Quare coniecturas meas et veteres²⁾ et novas hoc uno libello comprehendendas putavi, ut supplementum esset editionis recentissimæ et ab amatoribus Firmici facillime posset comparari.

I.

L. 1. c. 2. §. 1. ubi agitur de adversariis astrologorum :

«Primo itaque de moribus hominum coloribusque *conveniunt* dicentes: «Si stellarum mixturis mores hominibus coloresque tribuuntur et quasi quodam picturæ genere atque artificio stellarum cursus mortalium corporum liniamenta componunt, id est si Luna facit candidos, Mars rubeos, Saturnus nigros, cur omnes in Aethiopia nigri, in Germania candidi, in Thracia rubei?»

Pro *conveniunt*, quod hoc loco inepte positum videtur, scribendum fortasse: *contendunt*. (cf. l. VI. c. 24. §. 5: «cordatos quidem et maximarum disciplinarum studiis eruditos, sed mendaces ista coniunctio et omni malitia faciet instructos, ut ingenium suum ad omne genus circumscriptionis exerceant, et ut in omnibus certaminibus malitiosa velint semper tergiversatione *contendere*»)

II.

L. 1. c. 2. §. 1. agitur de coloribus hominum, quos stellarum mixturis tribuendos esse astrologi contenderunt :

¹⁾ *Juli Firmici Materni Matheseos libri VIII*. Ediderunt W. Kroll et F. Skutsch in operis societatem assumpto K. Ziegler. Fasciculus alter libros IV. posteriores cum præfatione et indicibus continens, Lipsiæ, in ædibus Teubneri MCMXIII. Ante hunc tomum editum obiit immatura morte abreptus Skutsch, quem ego in quæstionibus nonnullis ad interpretandos scriptores Latinos pertinentibus adversarium habui acerrimum ictusque eius vehementer pari vehementia reddere coactus sum, neque tamen ingenium illud sagacissimum ingentemque doctrinam magni æstimare unquam desii. *Manibus hoc satis est!*

²⁾ Ubi coniecturas tractabo antea iam editas, semper afferam locum tempusque primæ editionis.

«Si stellarum mixturis mores hominum coloresque tribuuntur et quasi *quodam picturae genere* atque artificio stellarum cursus mortalium corporum liniamenta componunt, id est si Luna facit candidos, Mars rubeos, Saturnus nigros, cur omnes in Aethiopia nigri, in Germania candidi, in Thracia rubei procreantur, quasi Luna et Mars in Aethiopia vim suam viresque non habeant et potestatem suam *finjendique* licentiam in Germania ac Thracia Saturni deserat stella?»

Agitur supra de *quodam picturae genere*, de coloribus hominum, quæ stellarum mixturis tribuantur, infra tamen *finjendi licentiam* legimus, quod statim suspicionem movet. (Cf. I. III. c. 6. §. 26 : «Sicut enim in imaginibus artifex pictor liniamenta membrorum ex varia mixturarum diversitate persignat et *temperatis coloribus* certam corporis formam imitatione facit similitudinis corporalis, sic et stellarum coniuncta radiatio societatis consensu pariter temperata vim quandam vicissim ex coniunctis sibi potestatibus mutuatur et substantia sibi ex diverso ignium colore collata fata hominum *ad picturae modum* æquata societatis moderatione *depingit.*»

Pro *finjendique* igitur legendum *pinjendique!*¹⁾

III.

L. I. c. 2. §. 5–6. agitur de philosophis, qui voluntatem hominis liberam esse neque stellarum decretis, ut astrologi velint, subiici censeant :

«Illa vero ipsorum inter ea potentissima et vehementer contra nos posita peroratio est, quod aiunt ex istius artis instituto omnia ex rebus humanis virtutum officia tolli, si temperantia fortitudo prudentia iustitia stellarum decretis, non nostris adscribuntur voluntatibus ; iam si quis societatis caritatisque vinculum ruperit et conciliationis humanæ iura neglexerit totumque se feritati perfidiæque tradiderit, facinus suum et animi perversas cupiditates securus stellarum indicibus adscribat. Sit iniquus, sit perfidus, sit malivolus, sit inreligiosus, quia hæc vitia mala Mercurii cum Marte perfecit constellatio! Cur animum nostrum fortitudinis studio

¹⁾ Cf. *Egyetemes Philologiai Közöny*, ann. 1895. p. 353.

roboramus, cur erecta mente sublimique constantia et divinarum virtutum magisterio formati in acerbis casibus constituti mortem doloresque contemnimus, si gloriæ laudem et potentissimæ dignitatis insignia nec adpetentibus nobis Sol *Iovis bona coniunctionis societate* largitur?»

In ultimis verbis corruptelam latere rectissime indicavit Kroll, qui post vocabulum *societate* lacunam statuit et supplendam censet vocabulo *adornatus*. Remanent tamen genitivi duo, *Iovis* et *coniunctionis*, qui constructionem verborum syntacticam perturbant. Ego scribendum censeo: *Iovi bona coniunctus societate*; ita enim plana fiunt omnia, cum dativus *Iovi* cum participio perfecto *coniunctus*, hoc autem participium cum substantivo *Sol* aptissime cohæreat. Simillimam certe videmus constructionem l. III. c. 7. §. 23: «In undecimo loco Mercurius ab horoscopo constitutus faciet ingeniosos et in omnibus actibus necessarios et quibus magnarum rationum actus committantur; sed tunc maiora decernit officia, si *Iovi* fuerit *opportuna radiatione coniunctus*.¹⁾

IV.

L. I. c. 4. §. 3. agitur de difficultatibus astrologiæ, quas tamen animus humanus divinitate sua fretus facile superare possit:

«Quapropter, quia nos libenter ac facile in ista parte consensimus ostendentes, cur divinæ res *difficili inquisitione cernantur*, confiteatur et ipse necesse est, quod animus, qui immortalis est, si a vitiis ac libidinibus terreni corporis fuerit separatus ac suæ originis et seminis constantiam (*conscientiam*: coniecit Kroll, *Hermes* tom. XXIX. p. 522. rectissime) retinens vim suæ maiestatis agnoverit, omnia quæ *difficilia* sunt *curantur* atque *ardua*, facile divina mentis investigatione consequitur.»

Corruptum est *curantur*. Cum agatur de difficili inquisitione rerum divinarum (i. e. ad astrologiam pertinentium), scribendum videtur: «quæ *difficilia* sunt *scrutanti* atque *ardua*, facile divina mentis *investigatione* consequitur». (l. III. c. 9. §. 10: «*divino ingenio* faciet oratores vel oratoriarum artium magistros

¹⁾ Cf. *Egyetemes Philologiai Közöny*, ann. 1898. p. 1.

aut grammaticos aut his omnibus potestatis alicuius auctoritate præpositos aut magistros studiorum aut magistros censualium . . . *cælestes res scrutari*». Quam apte autem verbum *scrutandi* loco in quæstionem vocato cum *vestigatione* iungatur, elucet ex l. VIII. c. 9. §. 1., ubi agitur de feris *vestigandis*: «Is retibus feras capiet aut foveis decipiet vel variis formidinibus ferroque sectabitur, aut canibus ferarum capiendarum gratia *scrutabitur secreta silvarum*.»

V.

l. I. c. 5. §. 9—10. agitur de mente divina totum mundum implente, quæ etiam anima mundi vocatur: «Quis dubitat, quod per has stellas terrenis corporibus divinus ille animus necessitate cuiusdam legis infunditur, cui descensus per orbem Solis tribuitur, per orbem vero Lunæ præparatur ascensus? Mens enim illa divina animusque cælestis per omne mundi corpus in modum circuli collocatus et nunc intrinsecus, nunc extrinsecus positus cuncta regit atque componit et propriæ originis generatione conceptus ad procreanda et conservanda omnia ignita ac sempiterna agitatione *perpetua*.»

(Cf. quæ sequuntur eodem loco §. 10: «Nec hoc officium aliqua fatigatione deponit, ut *se ipsum* atque mundum omniaque, quæ intra mundum sunt, *perpetua* sui atque infatigabili mobilitate *sustentet*», unde apparet mentem illam divinam et se ipsam et totum mundum perpetua agitatione sustentare. Cf. præterea duos locos, ubi de homine ad similitudinem mundi facto agitur, primum l. I. c. 4. §. 1: «Vere enim sunt res arduæ atque difficiles et quas non facile possit animus terrenis sordium laqueis impeditus, licet ipse ignea sit divinitatis immortalitate formatus, facili inquisitionis ratione percipere. Divinitas enim eius, quæ *sempiterna agitatione sustentatur*, si in terreno corpore fuerit inclusa, iacturam quandam divinitatis suæ patitur temporalem, cum vis eius atque substantia coniunctione et societate terreni corporis et assidua dissolutione mortalitatis hebetatur»: deinde l. III. præf. §. 3: «Hæc ex causa hominem quasi minorem quendam mundum stellæ quinque, Sol et Luna ignita ac sempiterna agitatione sustentant, ut animal, quod ad imitationem mundi factum est, simili divinitatis substantia gubernetur.»

Vides iam loco corrupto tale quid esse restituendum, quod idem fere ac verbum *sustentandi* significet. Rectam autem emendandi viam monstrat nobis l. l. c. 10. §. 14: «Sol optime maxime, qui mediam cæli possides partem, mens mundi atque temperies, dux omnium atque princeps, qui ceterarum stellarum ignes flammifera luminis tui moderatione *perpetuas*.» Hoc loco igitur Firmicus Solem appellat mentem mundi.

Pro *perpetua* igitur scribendum est: *se perpetuat*, ut sensus sit: «Meus divina totum mundum sustentat, ipse autem perpetua sui agitatione sustentatur.»

VI.

L. l. c. 6. §. 4. agitur de divinitate animi humani, qua confisi etiam fatalibus stellarum decretis aliqua ex parte resistere possumus:

«Hic (*hinc* fuit fortasse genuina lectio!) intellegi datur stellarum quidem esse, quod *patimur* et quæ nos incentivis quibusdam ignibus stimulant, divinitatis vero esse animi, quod repugnamus.»

Hoc loco *patimur* sensu caret, et coniunctio autem constructionem grammaticam perturbat. Cf. ibidem §. 2.: «Colamus itaque deos, quorum se nobis origo stellarum perenni agitatione coniunxit, et maiestatem eorum gens humana supplici semper veneratione suspiciat; invocemus suppliciter deos et religiose promissa munibus dona reddamus, ut confirmata animi nostri divinitate ex aliqua parte stellarum violenti decreto et earum potestatibus resistamus.»

Scriptor igitur stellis tribuendas esse censet humanas cupiditates, divinitati autem animi tribuit liberam voluntatem. Quare plana fiunt omnia, si scribimus: *petimus ea*, ut sensus sit: «Stellarum est, quod petimus eas res, quæ nos cupiditate aliqua stimulant, divinitatis vero animi est, quod his cupiditatibus resistere possumus.¹⁾

Cf. etiam l. l. c. 2. §. 7: «Frustra igitur consilio ac ratione errantis animi vitia comprimimus, frustra luxuriosas libidinum illecebras temperamus, frustra gravitatis instinctu æquitatis

¹⁾ Cf. *Egyetemes Philologiai Közöny*, ann. 1895. p. 355.

modestiam iuraque conquirimus, si Mercurius Iovis ac Lunæ bonis radiationibus temperatus *ad desideria nos et cupiditates istius virtutis inflammat.*»

VII.

L. I. c. 7. §. 3. agitur de felicitate hominum malorum et de infortuniis bonorum :

«Ecce pirata post infinitas innocentium neces in cruento sinu felices suscipit filios ; ille innocens et ab omni scelerum . . . *separatur invidia.*»

Post *scelerum* lacunam statuunt Kroll et Skutsch rectissime ; ego autem in *separatur* corruptelam suspicor. (cf. III. 6. 27 : «ab omni vitiorum *labe sepositi*»; l. IV. c. 19. §. 21 : «ab omni profusionis *labe sepositos*»; l. VII. præf. §. 3 : «quorum manus *ab omni* sunt facinorum *scelere separatae*». Lacuna igitur sic explenda est : «ab omni scelerum *labe separatus*», deinde post *separatus* et ante *invidia* lacuna statuenda. Scriptor hoc loco egisse videtur de hominibus innocentibus, quibus filii non nascantur aut qui filios infelicer perdat ; cum *invidia* iungenda videtur genitivus *Fortunæ* ; cf. l. I. c. 7. §. 9 : «Alcidiades . . . *Fortunæ* contra se sævientis *invidiam* vitare non potuit» ; ibidem §. 15 : «docum sibi quietæ sedis elegit (sc. Plotinus), ut ab omni humanæ conversationis strepitu *separatus Fortunæ* se liberaret *invidia.*»

VIII.

L. I. c. 7. §. 4—5. scriptor exponit, fatali stellarum decreto sæpe malos homines maximis cumulari honoribus, bonos vero in maximam detrudi humilitatem, unde eluceat sortem vitæ non esse positam in nostra potestate :

«Da manus et aliquando istis nos contentionum conflictationibus libera, ut hæc omnia, quæ fragilis et caduca consuevit ferre mortalitas, fortuitis stellarum decerni cursibus etiam tua confessione confirmes. Quid de *errore* honoribus malorum et de fuga exiliisque bonorum dicimus? Vides illum servilibus maculis infectum sordes ac labem generis sui consularium fascium nobilitate protegere? Ille ingenui sarguinis ornamenta circumferens honorum debitis privatur insignibus.»

Corruptum est procul dubio *errore*; agitur enim de honoribus malorum. Skutsch scribendum censet: *gloria et*, quod aptum efficit sensum, sed longe recedit a codicum scriptura. Mihi autem in mentem venit similis locus, ubi agitur de servilis originis hominibus ad nobilitatem perductis l. III. c. 12. §. 6: «Matutinus vero cum Venere in hoc loco positus (sc. Mercurius) a servitute ad libertatem venire facit et ab ignobilitate ad *spendorem* nobilitatemque perducit.» (Cf. etiam III. c. 5. §. 38: «quorum patres maximo *honoris splendore* decorentur.» Scribendum est igitur pro *errore* facillima mutatione: «*splendore et*¹⁾ honoribus.»

IX.

L. I. c. 7. §. 5:

«Ille in primo ætatis gradu positus, nulla præferens ornamenta virtutis, omnes honores præcipiti celeritate continuat; ille iam deficientis ætatis senio confectus et *testimonium* egregiæ vitæ... *cursu* nunc *primo* in adeundis honoribus auspicatur.»

Locum corruptum ita facillime emendari posse puto: «*testimonio* egregiæ vitæ *ornatus cursus* nunc *primo*» etc. (Cf. l. I. c. 7. §. 8: «Socrates vero, cuius prudentia *testimonio* divinitatis *ornatus*.» l. V. c. 2. §. 17: «actores faciet, alios *testimonio* semper *ornatos*, ut illis usque ad ultimum vitæ diem huius testimonii gratia perseveret.» l. VI. c. 10. §. 10: «et erit *egregio* famæ *testimonio* semper *ornatus*».

X.

L. I. c. 7. §. 13: agitur de Pythagora, viro optimo et sapientissimo, indigna morte perempto, cuius exemplo scriptor docet fatali stellarum decreto optimos homines sæpe fieri infelicissimos:

«Quid agis? Etiam nunc derogas fato et stellarum vim obstinata animositate contemnis, cum videas bonorum malos exitus, malorum prosperos actus, innocentium... nocentium securitates?»

¹⁾ Cf. *Egyetemes Philologiai Közöny*, ann. 1898. p. 3.

Lacunam rectissime statuunt editores post *innocentium*; sed hæc lacuna facile expleri potest, si perlegimus, quæ statim sequuntur: «In summa tibi respondendum est, quia hoc nos facere præsentia hortantur exempla: et ille, qui nocens est, fato cogente peccavit, et ille, qui *innocens damnatur*, fatali necessitate compulsus severam animadversionis sententiam pertulit.» Agitur videlicet de eis, qui *innocentes damnantur*; cum igitur lacunæ supplendæ causa tale quid quærendum sit, quod vocabulo *securitates* maxime sit contrarium, confidenter equidem hunc in modum locum emendo: «*innocentium pericula*, nocentium securitates». Vides iam, quam aptus evadat sensus: *pericula* enim sæpissime, ut passim apud Ciceronem, nominantur *causæ capitales*, quibus innocentes implicari Firmicus affirmat.¹⁾ Ceterum cf. etiam Firm. Matern. II. 20, 13: «*accusationes, pericula* facili definitionis explicatione designas.»

XI.

L. I. c. 7. §. 28:

«Septem milia civium nostrorum in medio foro urbis Romæ Sullana animadversione ceciderunt; mihi crede: nulla vis alia, nullum peccatorum meritum, nulla deorum voluntas, sed factorum necessitas istam multitudinem Sullanis manibus iniegit. Quod nunc putas esse iudicium, quem rationis ordinem, ut illa, qui nunquam fuit memor sexus sui, qui ultra commendationem gratiæ puerilis ætatis senex exoletus in aliena ætate flagitia corporis *detinebat*, vitiis obsessus Romana gubernaret imperia?»

Pro *detinebat* scribendum certe: *retinebat*. (cf. l. I. c. 4. §. 3: «animus, qui immortalis est, si a vitiis ac libidinibus terreni corporis fuerit separatus ac suæ originis et seminis conscientiam *retinens* vim suæ maiestatis agnoverit, omnia... facile divina mentis vestigatione consequitur.»

XII.

L. I. c. 7. §. 35:

«Ecce Sulla nefariis cædibus pascitur, ecce tyrannico grassatur

¹⁾ Cf. *Egyptisches Philologisches Közöny*, ann. 1898, p. 4.

imperio nec cupiditates eius potestas aliqua divinitatis impugnat. Quid sentis, quid iudicas? Refuta, quod dicimus? Ostende nobis ordinem rerum! Ubi sunt leges, ubi iudicia? Humano et divino sumus semper destituti iudicio, quia omnia hæc, quæ diximus, Sulla commisit impune. Ergo facinora eius, cum tantis cædibus *pascere*ntur, nulla ultricium dearum flagilla castigant?»

Corruptum est *pascere*ntur, primum, quia inepte dicuntur: *facinora cædibus pasci*, deinde, quia coniunctivi imperfectum (*pascere*ntur) cum tempore indicativi præsentis (*castigant*) non bene iungitur. Pro *pascere*ntur scribendum *grassetur*, sc. Sulla. (cf. l. I. c. 2. §. 3: «Scythæ soli immanis feritatis crudelitate *grassantur*.» l. I. c. 7. §. 32. (de Sulla): «Sed forsitan circa solos viros talis est feritatis atrocitate *grassatus*?» l. I. c. 7. §. 37. (de Sulla): «Ille crudelis perfidissimus, quem scimus per omnia crudelitatis genera *grassatum*.» l. VI. c. 31. §. 57: «facient tyrannos crudeles, qui *in hominum necibus* et in miserorum pœnis crudeli semper feritate *grassentur*.»

XIII.

l. I. c. 8. §. 3: «Sed iam huic nostræ allegationi etiam ipsi, qui contra dicebant, ex aliqua parte consentiunt, dicentes esse quidem quandam vim fortunæ ac fati quam himarmenen vocant, sed huic necessitati disputationis suæ licentia quædam tribuunt, quædam contra *dicit* lex necessitasque factorum et non posse videatur aliquid et posse.»

Agitur de iis, qui vitam humanam fato solo regi negent. Corruptum est procul dubio *dicit*, pro quo *Kroll* in editione sua comiecit: *demunt*; nos pro *dicit* scribimus: *denegant* et post hoc verbum supplendam censemus coniunctionem *ut*,¹⁾ quo reposito plana fiunt omnia: «huic necessitati... quædam tribuunt, quædam contra *denegant*, *ut* lex necessitasque factorum et non posse videatur aliquid et posse.»

(cf. l. I. c. 8. §. 4: «in tam inepta disputatione licentia se argumentationis extollit, ut, cum fato animadvertendi quoddammodo licentiam *tribuat* et totius potestatis concedat imperium, id quod minus est, ei *deneget*, regendi scilicet hominis potestates.»

¹⁾ Cf. *Egyetemes Philologiai Közöny*, ann. 1898. p. 5.

L. I. c. 8. §. 7: «*fatum . . . omnibus animantibus, quæ terrena concretione gignuntur, vivendi tempus propria iudicii dispositione distribuit, ut longiorem vivendi substantiam aliis deneget, aliis largiatur.*»

XIV.

L. I. c. 10. §. 9—10. agitur de diversis hominum formis, quas astrologi compositis stellarum mixturis ac rationibus tribuunt :

«Unde enim se [sibi] singuli propria corporis liniamentatione cognoscunt? Unde filios fratres cognatos, unde cives peregrinos vicinos amicos hospites norunt, si non singulis varios diversosque vultus stellarum potestas adscribit? Consideremus itaque conciliationem generis humani et retractando inveniemus, quam nefaria et quam impia poterant illic scelera committi, si cunctorum una facies populos illos æqua similitudinis formatione confunderet. Ad sororem frater deceptus similitudine quasi maritus intraret traheretque alius *contacti impudentia* alieni iuris uxorem ; alii de filio erratica contentionis conflictatione certarent ; alii nescirent, qui essent illi, qui sibi paulo ante servierant ; alter ingenitis natalibus natus quasi servus ex confusa similitudine obstinato ducentis errore traheretur, nisi uniformem istam colorum similitudinem maxima vultuum dissimilitudo variaret ; quæ omnia compositis stellarum mixturis ac radiationibus temperantur.»

Verba *contacti impudentia* corrupta sunt ; nam illud *contacti* non est quo referatur, *impudentia* autem hoc loco quid sibi velit, cum de vitiis non de industria, sed fatali quodam errore commissis agatur, nemo colligere potest. At plana fiunt omnia, si scribimus: «traheretque alius *contactam imprudentia* alieni iuris uxorem,» ubi adiectivum *contactam* referendum est ad *uxorem*, *imprudentia* autem est ablativus causæ significatque: non de industria, sed errore deceptus. Ceterum verbum *contingendi* sensu translato significat idem ac *polluere*. Firmicus igitur de adulteriis non morum pravitare, sed imprudentia commissis hoc loco disputare voluit.¹⁾

¹⁾ Cf. *Egyetemes Philologiai Közlöny*, ann. 1895. p. 3.

XV.

L. II. c. 2. §. 1—3. agitur de duodecim zodiaci signis, in quibus Sol et Luna et quinque planetæ domicilia sua habeant constituta :

«Ex his duodecim signis Sol quidem et Luna singula sunt signa sortiti, ceteri vero quinque planetæ, id est Saturnus Iuppiter Mars Venus Mercurius bina, in quibus singuli imperium habent ac domicilium constitutum . . . Est itaque *Sol et Leo* et in hoc signo habet domicilium et potestatem, Lunæ Cancer. Vide, quam apte quam secundum, ut masculini quidem signi dominus Sol esset, feminini vero Luna.»

Corruptum est *et*, sed corruptela facile sanatur, si pro *Sol et* scribimus *Solis*, ut sensus sit : Leo est Solis, Cancer est Lunæ, id est, Sol possidet Leonem, Luna autem Cancerum, Sol in Leone, Luna in Cancero habet domum.¹⁾

XVI.

L. II. c. 3. §. 4. agitur de altitudinibus et deiectionibus stellarum. Stellæ enim in altitudinibus collocatæ felicitatem, in deiectionibus autem miseriam decernunt. Quæritur nunc, utrum stellæ in domibus suis, de quibus supra l. II. c. 2. disputatum est, an in altitudinibus suis collocandæ sint :

«Hæc ex causa Babylonii ea signa, in quibus stellæ exaltantur, domicilia eorum esse voluerunt ; nos autem scire debemus hæc institutione formati omnes stellas melius in altitudinibus suis, quam in domiciliis suis . . .»

Lacuna est in fine. C. l. II. c. 21 : «Illud etiam scire nos convenit, quod mediocris est genitura, quæ unam stellam in domicilio suo constitutam in principalibus genituræ locis habuerit collocatam ; mediis etiam felicitatibus sublevatur, qui duas stellas in domiciliis suis in opportunis genituræ locis habuerit positas ; ultra modum felix ac potens erit, qui tres habuerit ; prope ad deorum accedit felicitatem, qui quattuor stellas in domiciliis suis

¹⁾ Cf. *Egyptemes Philologiai Közöny*, ann. 1898. p. 5. Coniectura mea confirmata est postea testimonio codicis Neapolitani ; cf. editionis Skutshianæ tom. II. p. 547.

habuerit *constitutas*. Ultra hunc numerum humani generis substantia non patitur. Qui vero nullam *stellam in domicilio suo* habuerit *constitutam*, ignotus ignobilis et miseris semper actibus erit implicatus.»

Scribendum est igitur loco corrupto: «omnes stellas melius in altitudinibus suis quam in domiciliis suis *constitu*o. *Scriptor* enim probare videtur Babyloniorum rationem, qui stellas non in domibus l. II. c. 2. enumeratis, sed in altitudinibus collocandas esse censuerunt, ut domicilium exempli gratia Solis non Leo, sicut l. II. c. 2. legimus, sed Aries esset. (Cf. infra l. II. c. 3. §. 6.: «Hac ex causa Babylonii hæc signa, in quibus exaltantur singuli, domus eorum esse voluerunt, dicentes, Saturni quidem domicilium esse Libram . . . Solis Arietem.»¹⁾)

XVII.

l. II. c. 10. §. 2:

«*Aries* est signum in cælo masculinum æquinoctiale solstitiale regale, ignitum *ad laniandum*, quadrupes corporale, oculis languidis erraticum, quod a Græcis . . . consonans indomitum impurum libidinosum.»

Pro *ad laniandum* scribendum putant *lanatum* sive *lanigerum* Kroll et Skutsch; post *Græcis* lacunam statuunt, quæ mihi sic explenda esse videtur: «quod a Græcis *Crios dictum est*; cf. quæ statim sequuntur infra §. 3: «*Crios* autem ideo a *Græcis dictum est* hoc signum, quod, cum in eo Sol fuerit, inter diem ac noctem quodammodo iudicat, quod *crinein* dicitur, et quod in eo signo inter hiemem positus et æstatem ipse rursus iudicetur.»

XVIII.

l. II. c. 14. §. 1. agitur de octo locis, quæ pertineant ad hominis vitam, spem, fratres, parentes, filios, valetudinem, mortem:

«Nunc ad expositionem cardinum locorumque omnium transferatur intentio: nam cum hæc omnia a nobis fuerint diligenter inventa, debemus *singula* hominis, per quæ omnis vitæ hominum

¹⁾ Cf. *Egyetemes Philologiai Közlöny*, ann. 1898. p. 5.

substantia dividitur, invenire; sed interim platice. Nam paulo post cum ad libros apotelesmatum venerimus, partiliter ostendemus rationem, qua possint *loca singula* secretis inquisitionibus colligi; debet enim is, qui instituitur, primum platice institui, ut compositus atque formatus secretiora genituræ confidentius consequatur.»

Intellegi non possunt verba: *debemus singula hominis*; scribendum pro *singula* videtur *loca singula*, ut paulo inferius legimus. Hæc sunt enim octo illa loca, de quibus supra diximus, per quæ, ut Firmicus ipse dicit, omnis vitæ hominum substantia dividitur. Scriptor igitur dicere vult se primum generatim de octo locis, deinde partiliter de singulis locis disserturum.¹⁾

XIX.

L. II. c. 19. agitur de duodecim locorum potestatibus, §. 11. autem de decimo loco, qui a Romanis medium cælum, a Græcis mesuranema appellatur:

«In hoc loco vitam et spiritum, actus etiam omnes, patriam domiciliumque totamque conversationem invenimus, artes etiam et quidquid nobis artium suffragio confertur; ex hoc loco animi vitia facili ratione perspicimus. Huius loci potestas cum horoscopo . . societate coniungitur; *de quadrato* enim ab horoscopo videtur.»

Requiritur adiectivum ad vocabulum *societate* pertinens, quod facile inveniri potest; nam hunc ipsum locum respicit auctor l. II. c. 23. §. 5: «*Quadratum* quoque cum horoscopo diximus *validissima radiationis societate* coniungi.

Scribendum est igitur: «Huius loci potestas cum horoscopo *validissima radiationis* societate coniungitur.»²⁾

XX.

Lib. II. c. 29. §. 2: «Antiscia Græcorum sunt nobis magisterio tradita; nam nolo aliquis suspicetur, quod non sit apud Græcos *ipse* tractatus; nam *si* Ptolomæus nullam aliam rationem sequitur nisi antisciorum, et Antiochus, cum dicit, quod enim Libra Arietem

¹⁾ Cf. *Egyetemes Philologiai Közöny*, ann. 1898. p. 6.

²⁾ Cf. *Egyetemes Philologiai Közöny*, ann. 1898. p. 7.

propter terram, quæ media est, non videat, quasi per speculum *quidem* antisciorum rationem attingit; *Dorotheus* vero Sidonius, vir prudentissimus et qui apotelesmata verissimis et disertissimis versibus scripsit, antisciorum rationem manifestis sententiis explicavit, in libro scilicet quarto.»

Hoc loco pro *ipse* cum editionibus veteribus scribendum *iste*; pro *quidem* reponendum esse *quoddam* recte censent Kroll et Skutsch; pro *si* autem scribendum puto *et*, quod sequenti et *Antiochus* optime respondet.¹⁾

XXI.

L. II. c. 30. §. 1. auctor exponit, qualis vita et quale institutum debeat esse mathematicis, id est astrologis:

«Nunc tu, quicumque hos libros legere conaris, cum omnem divinitatis scientiam acceperis et cum naturæ sacris imbutus atque initiatus sacrati operis . . . disciplinam, ad imaginem te divinitatis similitudinemque forma, ut sis semper præconio bonitatis ornatus.»

Requiritur verbum quoddam. Lacunæ explendæ gratia confer l. I. c. 4. §. 11: «Hæc omnia mathematicorum collegit ingenium et computatione sollerti divinæ dispositionis secreta *perdidicit*.»

Scribamus igitur: «sacrati operis *perdidiceris* disciplinam.»²⁾

XXII.

L. II. c. 30. §. 10. (de genere vivendi astrologis conveniente):

«Nunquam nocturnis sacrificiis intersis, sive illa publica sive privata dicantur; nec secrete cum aliquo fabulas conferas, sed palam, sicut superius comprehendî, sub conspectu omnium istius divinæ artis *exere* disciplinam.»

Pro *exere* scribendum videtur: *exerce*, quod habet codex Neapolitanus. Cf. l. IV. c. 11. §. 2: «*exercerunt* autem artes aut pigmentorum et aromatum aut lapidum et margaritarum, et

¹⁾ Cf. commentationem meam: *Questiones de Firmico Materno astrologo*, Buda-pestini, ann. 1889. p. 4.

²⁾ Cf. *Egyetemes Philologiai Közlöny*, ann. 1898. p. 7.

fiunt frequenter ex ista Lunæ societate tinctores.» l. IV. c. 14. §. 20: «Si vero in ceteris genituræ locis fuerit ista coniunctio, mediocres in facultatibus facit et qui *artes metallicas exercere* consueverint.»

XXIII.

l. III. præf. §. 2—4. agitur de homine ad similitudinem mundi formato, minore quodam mundo, qui Græce *μικρόκοσμος* dicitur:

«Scire itaque nos principe in loco oportet, Lolliane, decus nostrum, quod ad imaginem speciemque mundi formam hominis ac statum totamque substantiam deus ille fabricator hominis natura monstrante perfecit; nam corpus hominis ut mundi ex quattuor elementorum commixtione composuit, ignis scilicet et aquæ, aëris et terræ, ut omnium istorum coniunctio temperata animal ad formam divinæ imitationes ornaret, et ita hominem artificio divinæ fabricationis composuit, ut in parvo corpore omnem elementorum vim atque substantiam natura cogente conferret, ut divino illi spiritui, qui ad sustentationem mortalis corporis ex cælesti mente descendit, licet fragile sed tamen simile mundo pararet hospitium. Hac ex causa hominem quasi minorem quendam mundum stellæ quinque, Sol etiam et Luna ignita ac sempiterna agitatione sustentant, ut animal, quod ad imitationem mundi factum est, simili divinitatis substantia gubernetur. Quare illi divini viri atque omni admiratione digni Petosiris et Nechepso, quorum prudentia ad ipsa secreta divinitatis accessit, etiam mundi genituram divino nobis scientiæ magisterio tradiderunt, ut ostenderent atque monstrarent hominem ad naturam mundi similitudinemque formatum isdem principiis, quibus ipse mundus regitur et continetur, perenniter perpetuitatis sustentari *comitibus*.»

Qui sint *comites illi perpetuitatis*, nemo explicare potest. Sed facile emendatur corruptela, si confers l. I. c. 5. §. 11—12: «Ex hoc animo (sc. *ex animo mundi*) hi sempiterni stellarum ignes, qui globosæ rotunditatis specie formati circulos suos orbesque celeri festinatione perficiunt, maiestate divinæ illius mentis animati partem animi ad terrena corpora transferunt et spiritum ex illis *perpetuis animi comitibus* mutuuntur. Hac ratione immortalis animus in nobis caducam terreni corporis fragilitatem confidentia suæ maiestatis exornat, ut ipse auctori suo originique ex aliqua

parte respondeat, qui diffusus per cunctas animantes, quæ terrena conceptione gignuntur, facit, ut *divino* animatæ *fomento* perpetua generationis propagatione vivescant.» Hoc loco igitur *fomites* vel *fomenta* appellantur partes divinæ illius mentis, quæ omnia animalia sustentat. Quare loco in quæstionem vocato procul dubio scribendum est: «Hominem ad naturam mundi similitudinemque formatum perenniter perpetuitatis sustentari *fomitibus*.»

Firminus enim hoc loco exponere vult terrena hominum corpora eodem modo, quo universum mundi corpus divina mente sustentetur, partibus sive *fomitibus* divinæ illius mentis sustentari. Partes autem animæ mundi facile possunt *fomites* appellari, cum divinitas ipsa ignea sit natura. (f. l. I. c. 4. §. 1: «*animus* . . . licet ipse *ignea* sit divinitatis *immortalitate* formatus.»¹⁾

XXIV.

l. III. c. 1. §. 14. auctor narrat, Saturnum habuisse primum mundi principatum; Saturno Iovem, Iovi Martem, Marti Venerem successisse, ad ultimum vero regnasse Mercurium:

«Ultimum vero tempus Mercurio dandum esse putaverunt, cui se novissime Luna coniungit. Quid hac potest inveniri dispositione subtilius? Iurgatis agrestibus studis, repletis artibus disciplinisque compositis per diversos actus humani se generis exacuit intentio, et quia mobile ingenium in homine unum vitæ cursum servare non potest, ex variis institutis moribusque confusis malitiæ crevit improbitas, et *vitæ* scelerum flagitia gens hominum hoc tempore facinorosis machinationibus et invenit et tradidit. Hac ex causa ultimum tempus Mercurio esse tradendum putaverunt, ut ad imitationem istius sideris intenta gens plenam malitiæ conciperet potestatem.»

Corruptum esse videtur *vitæ*. Novissimi editores coniecerunt: *cuncta* aut *vitiosa*, Mueller *infinita*. Ego et ad scripturam codicum proxime accessisse et constructioni sententiarum optime satisfecisse mihi videor coniiciendo: *ita*.²⁾

1) Cf. *Egyetemes Philologiai Közlöny*, ann. 1895. p. 4.

2) Cf. *Egyetemes Philologiai Közlöny*, ann. 1898. p. 7.

XXV.

L. III. c. 2. §. 1. agitur de Saturni stella in cardinibus genituræ collocata :

«Saturnus per diem in horoscopo partiliter constitutus, id est si in ea parte est, qua horoscopus, faciet eum summo clamore edi partum. Erit autem iste, qui nascitur, maior omnibus fratribus, aut, si quis ante eum natus fuerit, a parentibus separatur. Semper autem dens iste per diem in omnibus quattuor cardinibus faciet primos nasci aut primos nutriri *aut eos fratres, qui ante se nati fuerint . . .*»

Enuntiatio ultima propter lacunam mutila est. Sed lacuna ista facile expleri potest, si diligenter perleges l. III. c. 3. §. 2—3 : «Si vero per noctem in horoscopi parte fuerit inventus (sc. *Iuppiter*), faciet primum nasci inter fratres vel, *qui ante ipsum natus fuerit, interimit* vel in longinquis eum separavit ¹⁾ et constituit regionibus ac locis, ut ipse in paterna domo habeat principatum. Facit autem bene nutriri et parentes eius in maxima felicitate constituit. Quodsi sic per noctem Iovi posito malivola stella restiterit, omnem paternam ac maternam substantiam dissipabit. Semper autem Iuppiter in cardinibus genituræ collocatus aut primos nasci faciet aut *fratres eius maiores interimit*, ut ipse, sicut superius dixi, solus in domo paterna habeat principatum.»

Lacuna igitur sic explenda est : «Deus iste (sc. Saturnus) . . . faciet . . . eos fratres, qui ante se nati fuerint, *interimi.*» ²⁾

XXVI.

L. III. c. 2. §. 11. agitur de decretis Saturni in quinto ab horoscopo loco constituti :

«Si vero per noctem istum genituræ locum Saturnus tenuerit, processu ætatis *quantulumcunque domino* partem felicitatis adsignat, virtutem vero eius inconstantem facit, tardum etiam in omnibus actibus hominem et pigrum demonstrat ; quosdam autem, -si deficiens se ei Luna coniunxerit, facit patrimonium amittere et quicquid ante quæsitum fuerat, misera laceratione deperdere.»

¹⁾ De hac corruptela cf. infra commentationis huius cap. XXVII.

²⁾ Cf. *Egyetemes Philologiai Közöny*, ann. 1895. p. 5.

Skutsch corruptelam hoc modo sanare conabatur: «quantulumcunque *homini paternæ felicitatis*»; Mommsen scribendum censuit: «quantulumcunque de omni parte relicitatis » ego facillima mutatione contentus conicio: «*quantulumcunque homini partem felicitatis.*»¹⁾

XXVII.

L. III. c. 3. §. 2:

«Si vero per noctem in horoscopi parte fuerit inventus (sc. Iuppiter), faciet primum nasci inter fratres, vel, qui ante ipsum natus fuerit, interimit vel in longinquis eum *separavit et constituit* regionibus ac locis, ut ipse in paterna domo habeat principatum.»

(Corruptum est *separavit* atque etiam verborum ordo turbatus esse videtur; nam *longinquis*, epitheton ad *regionibus* pertinens, a substantivo suo male secernitur. Cf. l. III. c. 2. §. 1: «Erit autem iste, qui nascitur, maior omnibus fratribus, aut, si quis ante eum natus fuerit, a *parentibus separatur*. Semper autem deus iste . . . faciet *primos nasci* aut primos nutriri aut *eos fratres, qui ante se nati fuerint, interimi.*»²⁾ L. V. c. 5. §. 3: «desertis patriis laribus ad semota et *longinqua loca* fugitivo errore ducuntur; » l. VIII. c. 8. §. 2: «qui lares suos ad *longinquas regiones* migrantes . . . deserant.»

Excidisse videtur igitur tale quid: «vel a *parentibus* eum *separabit* et in longinquis *constituet* regionibus ac locis.»

XXVIII.

L. III. c. 3. §. 15. agitur de decretis Iovis in septimo ab horoscopo loco constituti:

«In septimo loco Iuppiter ab horoscopo constitutus, id est in occasu pariter, in diurna scilicet genitura, faciet locupletes divites et longæ ac beatæ senectutis spatia decernit; sed filiorum locum et coniugis *nocturnus* maxime versat; nem et carissimam et moratam uxorem amittat necesse est, et amati filii vel filiæ miseram videbit mortem.»

Procul dubio corruptum est *nocturnus*; nam hoc loco agitur

¹⁾ Cf. *Egyetemes Philologiai Közöny*, ann. 1898. p. 8.

²⁾ De hac coniectura cf. supra commentationis huius cap. XXV.

de *diurna* genitura ; cf. quæ statim sequuntur : «Si vero *per noctem* in eo loco genituræ fuerit inventus, crescente ætate augmenta patrimonii consequitur.»

Pro *nocturnus* equidem scribendum censeo : *in occasu*, ut sensus sit : «filiorum et coniugis locum in occasu maxime versat Iuppiter.» Occasus enim est septimus ab horoscopo locus, qui plerumque infelicitatem hominibus decernit. (Cf. l. III. c. 4. §. 21 : «Sed et *locum coniugis* ac *filiorum* vehementissime persequitur Mars *in septimo* constitutus loco,» id est in occasu.¹⁾

XXIX.

L. III. c. 3. §. 18. agitur de Iove in decimo ab horoscopo loco constituto :

«In decimo loco Iuppiter ab horoscopo constitutus, id est in imo cælo partiliter per diem, publicorum negotiorum facit principes, faciet *maximorum decem primos* et quibus a populo honores maxima conferantur, claros et qui se velint semper gratia ostentationis exserere, sed in vita luxuriosos reddit.»

Quærendum est, qui sint *maximorum decem primi*, quo loco præterea admonendi sumus *decem primos* apud Firmicum idem ac *decemviros iuri dicundo* significare. Cf. l. III. c. 10. §. 1 : «Mercurius cum Iove partiliter in horoscopo constitutus in diurna genitura faciet claros et gloriosos, civitatibus præpositos aut *maximarum civitatum decem primos*, iuridicos.» Ibidem §. 9 : «Faciet enim a mulieribus felicitates maximas conferri et faciet publicis muneribus præpositos et populorum aut *civitatum* principes aut *decem primos.*» l. III. c. 6. §. 23 : «Interdum *nobilium civitatum* faciet *decem primos.*»

Scribendum igitur loco in quæstionem vocato : «*m a x i m a r u m c i v i t a t u m.*»²⁾

XXX.

L. III. c. 4. §. 4. (de decretis Martis) :

«Patrimonia autem eorum, qui sic Martem habuerint, dissipantur. Sed et omnem vitæ substantiam, uxores etiam ac filios amittunt,

¹⁾ Cf. *Egyetemes Philologiai Közlöny*, ann. 1898. p. 8.

²⁾ Cf. *Egyetemes Philologiai Közlöny*, ann. 1895. p. 356.

nec aliquid illis de paterna substantia reservatur, sed et *haec* prima aetate *deperunt*.»

Numerus pluralis pronominis (*haec*) ad praecedentem numerum singularem (*aliquid*) non bene refertur. Scribendum videtur: «sed et *hanc* (sc. substantiam paternam) prima aetate *deperdunt*.» Cf. l. V. c. 3. §. 29: «Sed et quicquid consecuti fuerint vel a parentibus vel ab aliis, facili ratione *deperdent*.» l. V. c. 3. §. 45: «Sed et quicquid susceperint, *deperdent*, et omnem substantiam minuunt.» l. V. c. 3. §. 40: «per semet ipsos maximam substantiam consecuti, *hanc* eandem rursus misera dissipatione *deperdunt*.»

XXXI.

L. III. c. 4. §. 14. de decretis Martis:

«Si vero per diem Mars in quinto ab horoscopo loco fuerit constitutus, patrimonium eius labefactabit et domicilium frequenter *mutat* et propter infortunia, quæ ei accidunt, peregrinis semper regionibus *immoratur*; erit autem in periculis non modicis constitutus. Si vero sic positum per diem Martem hæc mala decernentem Iuppiter aut Venus vel simul cum eo constituti vel de trigono vel de hexagono eum respexerint, luera maxima ex peregrinitatis incommodo consequetur.»

Corrupta esse videntur verba *et... mutat... immoratur*. Concinnitas certe orationis postulat, ut scribamus *ut... mutet... immoretur*; ne post futurum *labefactabit* inepte ponatur indicativi præsens (*mutat... immoratur*) coniunctione coordinativa (*et*) iunctum.

XXXII.

L. III. c. 4. §. 30. agitur de decretis Martis in decimo ab horoscopo loco constituti:

«Quodsi sic constituto Marte, sicut diximus, Iove etiam, sicut ante diximus, in ceteris genituræ cardinibus constituto in his, in quibus diximus, signis et in his partibus Saturnus in alio genituræ cardine fuerit constitutus, erunt quidem reges imperatores, potentes maxime terribiles periculosi, civitatum eversores vel *fabricatores*, sed modicæ vitæ id est oligochronii.»

Corruptum est *fabricatores*; nemo enim linguæ Latinæ peritus

dicere potest : *civitatum fabricatores*. Sed plana fiunt omnia collato similis argumenti loco, l. III. c. 5. §. 7 :

«Si vero Sol in parte horoscopi fuerit inventus et Luna in ceteris cardinibus genituræ vel in anaphoris vel in cataphoris cardinum fuerit inventa, et Mars se nulla illis radiatione coniunxerit, sit vero Iovis stella aut cum Sole in parte horoscopi constituta aut in ceteris cardinibus inventa vel in cataphoris cardinum, ii, qui nati fuerint, reges totius orbis gubernacula possidebunt, *evertentes alias civitates, alias sublevantes.*»

Scribendum est igitur : «*civitatum eversores vel subvertore s.*»¹⁾

XXXIII.

L. III. c. 4. §. 34 :

«In duodecimo loco Mars ab horoscopo constitutus, si per diem in hoc loco fuerit inventus, ægritudines maximas decernit et malis vitiis implicat et a servis crebras concinnat insidias et facit talem, cui semper servi nocere desiderent, et *omnibus* eius multiplices per servos spargit infamias.»

(Cf. l. III. c. 5. §. 13 : «Unde quicumque sic Solem habuerit constitutum, nihil adpetat, ad nullum audeat, cum sciat se sic posito Sole in *omnibus actibus* impediri.» Vide etiam l. III. c. §. 9. : Si vero partem medii cæli præcedat aut sequatur (sc. Luna), in proximo tamen loco et vicinis partibus sit posita, duces tribunos administratoresque perliciet ; si vero in eodem signo, in quo est medium cælum, platice fuerit constituta, magnos in *omnibus actibus* reddit et vario genere felicitatis ornatos.»

Scribendum est igitur procul dubio : *omnibus eius actibus*»²⁾
Cf. l. VI. c. 13. §. 1 : «*His a mulierum amoribus malignus sermo spargit infamiam.*»

XXXIV.

L. III. c. 5. §. 1. agitur de Sole in parte horoscopi constituto :

«Sol in parte horoscopi constitutus difficile fratres dabit ; in masculino autem signo constitutus in domo sua aut in altitudine

¹⁾ Cf. *Egyetemes Philologiai Közlöny*, ann. 1898. p. 9.

²⁾ Cf. *Egyetemes Philologiai Közlöny*, ann. 1895. p. 357.

sua et benivolæ stellæ radiatione coniunctus aut a benivola protectus magnæ nobilitatis largitur insignia. Si vero malivolæ Sole in horoscopo constituto prope radiis accedant, oculorum aciem ex maxima parte desiderat.»

Verbum *desiderandi* hoc loco sensu caret; scribendum: *debilitat*. Cf. l. IV. c. 24. §. 7: «Si Luna cum Marte in horoscopo partiliter fuerit iuventa, peregrinam matrem aut debilem monstrat, sed ipsorum aut *oculi debilitantur* aut stomachus.» l. V. c. 4. §. 4 (de Mercurio in domo vel in decano Solis): «Si vero fuerit nocturna genitura, aut mente captos faciet aut *aures linguamque debilitat.*»¹⁾

XXXV;

l. III. c. 5. §. 10. agitur de Sole in signo horoscopi constituto:

«Sed si sic omnes positos, idest Solem in signo horoscopi, Iovem Venerem Mercurium in ceteris cardinibus, Saturnum vero in trigono aut in hexagono aut eodem loco cum ipsis constitutum Mars aliqua radiatione respexerit aut cum ipsis constitutus aut hos omnes de quadrato respexerit aut de diametro se huic stellarum commixtioni coniunxerit, faciet maximos iudices, habentes vitæ et necis potestatem, sed fures rapaces et qui res alienas avaro rapiant cupiditatis instinctu. Sed nihilominus hos eosdem post immensam deprædationem vel post maximas rapinas vel post *immensa fortia* exules facit aut biothanatos.»

Corruptum est *immensa fortia*; nam Firmicus non dicit Sole in signo horoscopi posito nasci viros fortibus factis claros, sed commemorat «*fures, rapaces et qui res alienas avaro rapiant cupiditatis instinctu.*» Huiuscemodi autem hominibus tribuit primum «*maximam deprædationem*», deinde «*maximas rapinas*»; tertio igitur loco procul dubio scribendum est: *immensa furta*, quod præcedentibus optime respondet; nam ut *rapinas* ad *rapaces*, ita *furta* ad *fures* referamus necesse est.²⁾

¹⁾ Cf. *Egyetemes Philologiai Közlöny*, ann. 1895. p. 12.

²⁾ Cf. *Egyetemes Philologiai Közlöny*, ann. 1895. p. 6. Coniectura mea confirmata est postea testimonio codicis Nca politani; cf. edit. Skutsch. tom. II. p. 549.

XXXVI.

L. III. c. 5. §. 15. agitur de Sole in tertio ab horoscopo loco constituto :

«Si vero in tertio genituræ loco positus sit, in domo sua vel in domo Iovis vel in domo Veneris vel in domo Mercurii vel in altitudine sua vel in altitudine Iovis vel Veneris vel Mercurii, faciet *religiosos deorum . . . vel cultores*, qui simulacra deorum per se facta religiosis consecrationibus dedicent et qui fabricationibus templorum iussu principum vel iudicum præsent.»

Lacuna expletur collatione l. III. c. 5. §. 33 : «In nono loco Sol ab horoscopo constitutus *fabricatores deorum facit vel cultores* divinorum simulacrorum vel ornatores deorum vel fabricatores templorum aut hymnologos aut qui laudes deorum cum iactantiæ ostentatione decantent, ex quibus rebus gloriam et honores habebunt.»

Scribendum est igitur loco in quæstionem vocato : *religiosos deorum fabricatores*; pro *cultores* autem utroque loco ex coniectura Krollii scribendum videtur *sculptores*; cf. l. IV. c. 14. §. 20 : «aut ornatores aut *sculptores* simulacrorum aut fabricatores efficiet aut in templis sacra carmina precantes.» L. III. c. 9. §. 5 : «facient etiam *sacrorum simulacrorum sculptores.*»¹⁾

XXXVII.

L. III. c. 6. §. 3. agitur de Venere in parte horoscopi partiliter constituta :

«In constantibus vero signis et quæ modicæ sunt vocis posita, in nocturna scilicet genitura, faciet multiplici studio veneratores amicos imperatorum, facientes aliquid tale et inveniētes, quod ad *venias regias* pertineat ; faciet etiam præpositos voluptatum, sed earum, quæ ad delectationem regiam præparantur, accipientes annonas ab imperatore maximas, sic ut ex præstatione annonarum maximæ illis divitiæ conferantur.»

Quid *venia regia* hoc loco sibi velint, nemo sanus colliget ; sed cum agatur de *Venere* actus decernente necnon de *præpositis*

¹⁾ Cf. *Egyetemes Philologiai Közöny*, ann. 1895. p. 7.

voluptatum, quæ ad delectationem regiam præparentur (*maître de plaisir*, ut Galli dicunt), nonne tollitur omnis difficultas, si pro *venias* scribimus: *Veneres?* Facient igitur, qui Venere in parte horoscopi constituta nati erunt, tale quid, quod ad *amores regum* pertineat eruntque in aula regia præpositi voluptatum.¹⁾

XXXVIII.

L. III. c. 6. §. 4. agitur de Veneris et Saturni coniunctione:

«Sed si sic Venus per diem posita Saturnum ex aliqua parte respexerit, faciet molles, cinædos vel qui se *dulibus* actibus dedant.»

(Corruptum est *dulibus*. Cf. l. III. c. 9. §. 7: «Si vero in feminino signo, in horoscopo scilicet, Saturnus et Mercurius partiliter in nocturna genitura fuerint inventi, facient eunuchos vel viros sine semine et qui coire non possint, *turpes* infames impuros impudicos cinædos.» L. IV. c. 9. §. 7., ubi agitur de coniunctione Saturni, Lunæ et Veneris: «Si vero fuerit minuta luminibus, pravas amorum decernit inlecebras aut impuris et impudicis facit libidinibus implicari aut *turpes actus* adsidua continuatione decernit.» L. IV. c. 12. §. 1., ubi agitur de coniunctione Solis Lunæ et Veneris: «Erunt sane præposteris amorum vitiis obligati aut impuris aut *turpibus cupiditatibus dediti*.»

Pro *dulibus* igitur confidenter coniecere possumus «*turpibus*»²⁾

XXXIX.

L. III. c. 6. §. 8. agitur de Veneris decretis:

«In quarto loco Venus ab horoscopo constituta per diem, id est in imo cælo, iacturam maximam patrimonii faciet et assiduas viduitates et tales reddit, qui difficile possint aliquid impetrare. Sed et cum ei Mercurius fuerit partili radiatione coniunctus, adulteros faciet, *frequenter *stæmen* propter malas administrationes vel publicas vel privatas proseribi *facit*.»

Sensus loci ita perfectus aptusque est, ut in corruptela nihil præter particulam quandam latere possit. (Cf. ibidem §. 17: «In

¹⁾ Cf. *Egyetemes Philologiai Közlöny*, ann. 1898. p. 10.

²⁾ Cf. *Egyetemes Philologiai Közlöny*, ann. 1898. p. 11.

nono loco Venus ab horoscopo si fuerit constituta in diurna genitura, faciet eum, qui sic habuerit Venerem, assidua cuiusdam dæmonis interpellatione pulsari . . . *reddit etiam* sic posita Venus somniorum *frequenter* interpretes.» L. III. c. 7. §. 1 : «Mercurius in parte horoscopi partiliter constitutus in his, in quibus gaudet, signis, in diurna genitura facit philosophos, grammaticæ artis magistros aut geometras aut cælestia sæpe tractantes aut qui ad hoc spectent. ut deorum possint præsentiam intueri, aut sacrarum litterarum peritos ; *facit etiam frequenter* oratores et advocatos.»

(Corruptela igitur facillime sanari potest : *frequenter e t i a m.*¹⁾)

XL.

L. III. c. 6. §. 8. agitur de Venere in quarto ab horoscopo loco constituta :

«Si vero per noctem in hoc loco fuerit inventa, processu ætatis *laudes* faciet, magnorum virorum amicos et plenos gratia et decentes, in inventute vero, id est in prima ætate, honestos quidem et quibus nihil desit, sed vitio quodam mentis implicatos.»

Pro corrupto *laudes* scribendum censeo : *lautos* ; lauti enim nominantur homines elegantes atque urbani, quos magni viri, ut Firmicus dicit, id est principes civitatis in amicorum numero habere non dedignantur. (cf. Cic. Fam. VII. 14 : «Valde iam *lautos* es, qui gravere litteras ad me dare» ; Cic. in Pis. 25 : «Nihil apud hunc *lautum*, nihil *elegans*, nihil *exquisitum*» ; Non. IV. 280 : «*Lautam* vitam et *elegantem* colere.»²⁾)

XLI.

L. III. c. 6. §. 13 : agitur de Venere in sexto ab horoscopo loco constituta :

«Si vero aliena Venus a cardinibus fuerit constituta et malivolæ stellæ in cardinibus constitutam Lunam forti radiatione *possederint*, expositos a parentibus *faciet et statim faciunt* . . .»

¹⁾ Cf. *Egyetemes Philologiai Közlöny*, ann. 1895. p. 358. Coniectura mea confirmata est postea testimonio codicis Neapolitani ; cf. edit. Skutsch. tom. II. p. 549.

²⁾ Cf. *Egyetemes Philologiai Közlöny*, ann. 1898. p. 12.

Requiritur aliquid in fine. Cf. similis argumenti locum l. III. c. 13. §. 2., ubi agitur de Lunæ decretis: «Si vero sic Lunam positam cum malivolis nulla benivola stella respexerit, eos, qui nati fuerint, *faciet exponi aut nulla vitæ tempora decernit et statim faciet interire* aut malum vitæ finem biothanatumque decernit.» (Cf. etiam l. IV. c. 9. §. 4: «Si a Saturno defluens Luna ad Martem se iungat plena luminibus, valitudines et vitia decernit et prima iuventute *faciet interire.*» l. III. c. 4. §. 39: «Si vero Lunam crescentem per diametrum vel quadratum viderit, eos qui nati fuerint, *aut statim perimit aut faciet exponi.*» l. IV. c. 13. §. 4: «Si vero a Mercurio per noctem defluens Luna minuta lumine ad Saturnum feratur, *aut exponi facit* aut squalorem miseræ servitutis imponit aut onus acerbæ captivitatis indicit; etiam maximas valitudines aut vitia decernit *aut in prima ætate temporis perimit* aut *facit* aliqua ratione damnari; quodsi nihil horum fuerit, biothanatos *interire.*»

Lacuna igitur aptissime expletur, si scribimus: «expositos a parentibus *facient aut statim facient interire.*»

Deinde valde suspectum est loco laudato illud *possederint*; scribendum esse videtur: *respexerint*. Cf. ibidem § 15: «Sic vero sic positam cum Marte Venerem in his, in quibus diximus, signis aliqua Saturnus radiatione *respexerit*»; cf. ibidem §. 16: «Sed et si Mercurius cum ea fuerit et simul cum Mercurio Venerem in hoc loco positam malivola stella *respexerit*»; cf. ibidem §. 21: «Si vero sic positam Venerem Mars forti radiatione *respexerit*» et passim alibi.¹⁾

XLII.

l. III. c. 6. §. 17: «In nono loco Venus ab horoscopo si fuerit constituta in diurna genitura, faciet eum, qui sic habuerit Venerem, assidua cuiusdam dæmonis interpellatione pulsari; faciet autem in templis manere *sordido* et sic semper incedere et qui nunquam tondeant comam, et qui aliquid velint quasi a diis dictum hominibus muntiare, quales solent esse in templis, qui vaticinari consueverunt; reddit etiam sic posita Venus somniorum frequenter interpretes.»

¹⁾ Cf. *Egyetemes Philologiai Közöny*, ann. 1898. p. 12.

Pro *sordido* scribendum esse *sordidos* nemo non videt; neque enim aliter grammatica huius sententiæ constructio apte restitui potest.¹⁾

XLIII.

L. III. c. 6. §. 23. agitur de Venere in undecimo loco ab horoscopo constituta:

«Et si sic posita Venus coniunctionem Lunæ venientis acceperit, faciet locupletes divites, *maxime potentiores etiam gloriæ* et quibus magnarum potestatum cura mandetur; interdum nobilium civitatum faciet decem primos.»

(Cf. l. IV. c. 19. §. 9: «Si Iuppiter dominus genituræ fuerit, faciet homines magni animi *magna appetentes* et quibus fides semper habeatur et qui ad magnos actus semper *inflentur.*»²⁾ L. V. c. 3. §. 28: «Erunt sane cordati, doctrina ac sapientia pleni, multis occupationibus dediti et *multa appetentes*, sed et ex his quæcunque assecuti fuerint et patrimonii sui substantiam dissipabunt.»

Verba corrupta igitur hunc in modum possunt sanari: «*maximæ appetentes etiam gloriae.*»³⁾

XLIV.

L. III. c. 6. §. 28. agitur de Venere in duodecimo ab horoscopo loco constituta:

«Quodsi in diametro Luna fuerit inventa, faciet infames libidinosos aut puerorum amatores aut ex coitu mulierum *sudarios* facit gravi infamiæ pulsari dedecore.»

(Cf. quæ statim sequuntur in eadem §.: «Ex incestis et *stupris* ex ista commixtione graves decernuntur infamiæ; aut enim cum sororibus aut novercis aut filiabus aut fratrum uxoribus coire coguntur, sed nihilo minus ex isto incesto lucra illis maxima obvenient et confertur aliquod meritum dignitatis.»

Cum igitur de stupris hoc loco agatur et incestis, pro *sudarios* scribendum esse *stuproso* verisimile est.⁴⁾

¹⁾ Cf. *Egyetemes Philologiai Közöny*, ann. 1895. p. 359.

²⁾ De hac corruptela cf. commentationis huius cap. LXXXI.

³⁾ Cf. *Egyetemes Philologiai Közöny*, ann. 1898. p. 13.

⁴⁾ Cf. *Egyetemes Philologiai Közöny*, ann. 1898. p. 14.

XLV.

Lib. III. c. 6. §. 29., ubi de iis, qui «*ex incestis amoribus gravi pulsantur infamia*», agitur: «Aut enim, sicut supra diximus, cum sororibus coeunt aut, si alienas a genere, duas tamen sorores stupro sibi cognitatas coniungunt aut cum filiabus coibunt aut cum matribus aut cum nuribus aut cum privignorum uxoribus aut circa fratrum uxores vitio libidinosæ cupiditatis ardebunt, [aut matribus] aut cum novercis coibunt aut cum adfinibus *aut cum sororibus* aut cum sororum filiis.»

Verba *aut matribus* eicienda esse recte censent Kroll et Skutsch propter præcedens *cum matribus*; nos autem, cum iam initio legamus: «cum sororibus coeunt», eiecimus in fine verba *aut cum sororibus*, certe propter sequens *sorum* interpolata.¹⁾

XLVI.

L. III. c. 7. §. 5. agitur de Mercurio in secundo ab horoscopo loco constituto:

«Facit autem magnis rationibus præpositos, reddit tales, qui facultates regias *posita* dispositione sustentent et qui omnes reditus regios thesaurosque suæ habeant fidei dispositionique commissos.»

Kroll et Skutsch pro *posita* coniecerunt *sua*, quod aptum efficit sensum, sed a codicum scriptura longe recedit. Scribendum equidem censeo *propria*, ut sensus idem sit, sed emendandi ratio probabilior.²⁾

XLVII.

L. III. c. 7. §. 13. agitur de Mercurio in sexto ab horoscopo loco constituto:

«Si vero sic positus coniunctionem Lunæ venientis exceperit, faciet scribas aut iudicum aut *auctoritatum* aut senatus aut qui cum imperatoribus constituti docendi habeant aliquam potestatem aut qui actus principis *sui subeantur* dispositionibus *suis*»

¹⁾ Cf. *Quæstiones de Firm. Mat. astr.*, Budapestini 1889. p. 6.

²⁾ Cf. *Egyetemes Philológiai Közöny*, ann. 1898. p. 13.

gubernare, præsertim si sic Mercurio constituto Luna aut quæcunque alia stella X. genituræ locum possideat.»

Corruptum est primum *auctoritatum*, pro quo scribendum videtur *civitatuum*. Corruptela ex dittographiæ præcedentis aut orta esse videtur.

Hoc loco deinde pronomen illud possessivum *sui* post vocabulum *principis* supervacuum neque Latinum est; tum *subeantur*, quæ est codicum optimorum lectio, nullum habet sensum, quare codices recentiores et editiones veteres *subeant* exhibent, qua tamen coniectura non multum adiuvamur, cum *subeant gubernare* Latine dici non possit. Sed omnis tollitur difficultas collato similis argumenti loco, l. III. c. 12. §. 1: «In horoscopo Mercurius et Venus partiliter constituti in diurna genitura faciunt scutarios vel protectores imperatorum vel qui proprio excubitu salutem principis servant, aut qui pecunias et thesauros regios *suis iubeantur dispositionibus gubernare*, et quibus huiuscemodi administrationum officia credantur.»

Scribendum igitur procul dubio: «qui actus principis *suis iubeantur* dispositionibus gubernare.» Nam eiciendum est post *dispositionibus* pronomen *suis*, quod certe propter corruptelam præcedentem huc irrepsit.¹⁾

XLVIII.

l. III. c. 8. §. 8:

«In octavo loco ab horoscopo Mercurius cum Sole partiliter constitutus faciet debiles vitiosos et qui facili ratione decipiantur; sed in hoc loco . . . constituti biothanatam mortem faciunt et decernunt frequentur insanias.»

(Cf. ibidem §. 1: «*Per diem* Mercurius cum Sole *partiliter* in horoscopo constitutus faciet reges duces potentes; si vero *per noctem* in hoc loco fuerint *partiliter* inventi, patrem degenerem et ignobilem faciunt.» Ibidem §. 7: «In septimo loco ab horoscopo Mercurius cum Sole *partiliter* constitutus, id est in occasu, si *per diem* in hoc loco fuerit inventus, faciet ei, qui sic natus fuerit, maximas res potestatesque committi, sed ipsos biothanata morte

¹⁾ Cf. *Egyetemes Philologiai Közlöny*, ann. 1895. p. 359.

faciet interire. Si vero *per noctem* in hoc loco *partiliter* fuerit *constitutus*, faciet multa perpeti mala, laborantes et cotidiano opere alimenta quærentes et malis semper ac sordidis actibus occupatos.»

Lacuna igitur explenda est huncce in modum : *per noctem partiliter.*

XLIX.

l. III. c. 9. §. 5 :

«In quinto loco ab horoscopo Saturnus et Mercurius pariter constituti facient eos, qui sic nati fuerint, frequenter mutare domicilia, et annonæ aut frumentorum aut locorum quorundam præpositos aut gemmarum aut margaritarum aut *aromatum* aut metallorum præpositos.»

Lacunam statuendam censeo post *aromatum*; absurdum enim est de *gemmarum aut margaritarum aut aromatum præpositis* loqui. Viam emendandi monstrat nobis l. III. c. 12. §. 10, ubi agitur de Mercurii decretis : «Vespertinus vero in hoc loco si cum Venere fuerit inventus, cordatos ingeniosos musicos vel organarios faciet aut tinctorios, colorum aut *aromatum aut gemmarum aut margaritarum mercatores*; faciet quosdam myropolos vel pigmentorum medicinalium inventores; faciet etiam sic positus frequenter *præpositos metallorum*, ut ex his actibus maxima illis facultatum subsidia quærantur.»

Lacuna igitur explenda est huncce in modum : «aut gemmarum aut margaritarum aut *aromatum mercatores.*»

L.

l. III. c. 11. §. 8 :

«Si vero *per noctem* in VI. vel in XII. ab horoscopo loco Mercurius cum Marte fuerit constitutus, facit multis debitis et multo usurarum fenore implicatos, sed æstus animi et interceptiones facient. Reddunt etiam pigros in omnibus actibus et decernunt maximas accusationes et graves insidias, sed quæ aut a servis aut propter servos *faciant.*»

Sittl verbo *faciant* rectissime signum corruptelæ apposuit et coniecturam editionis Aldinæ (*fiant*) repudiavit. Ego mutatione

levissima scribendum censeo: *accidant*.¹⁾ (cf. l. III. c. 4. §. 14: «Si vero per diem Mars in quinto ab horoscopo loco fuerit constitutus, patrimonium eius labefactabit et domicilium frequenter mutat et propter infortunia, quæ ei *accidunt*, peregrinis semper regionibus immoratur.»²⁾)

LI.

L. III. c. 11. §. 16. agitur de Marte et Mercurio in decimo ab horoscopo loco pariter constitutis :

«Sed semper Mercurius cum Marte pariter constitutus in actibus publicis aut in administrationibus aut in occupationibus *constituti*, sed... in ipsis actibus nunquam longis temporum continuationibus perseverant; aut enim impetiti aut accusati amoventur et frequentur indiciis adplicantur et falsis interdum accusationibus opprimuntur.»

(cf. l. IV. c. 3. §. 2: «Si vero in ista coniunctione fuerit minuta luminibus (sc. Luna), *faciet adoptari* vel expositos antea postea parentibus *reddi*.» l. IV. c. 7. §. 2: «Si vero ad Mercurium sic positum cum tali testimonio Iovis feratur Luna, *faciet* rationibus *præponi* fisci... *faciet* etiam *his* pecuniarum actus adsiduis conversationibus *credi*.»)

Lacunæ post *constitutus* et post *sed* sunt statuendæ, *constituti* autem corruptum. Scribendum videtur: «*faciet* in actibus publicis aut administrationibus aut in occupationibus *constituti*, sed *hi* in ipsis actibus» etc.

LII.

L. III. c. 11. §. 18. agitur de Marte et Mercurio in decimo ab horoscopo loco pariter constitutis :

«In Iovis vero domo vel partibus constituti... scelerata ac facinorosa officia tractantes; facient enim *tortores*, *carnifices*, *interfectores*, *delatores*, *proditores eorum*.»

(Confer l. III. c. 11. §. 13., ubi agitur de Mercurio in octavo ab horoscopo loco Marte pariter constituto: «Erunt fures aut

¹⁾ Cf. *Egyetemes Philologiai Közlöny*, ann. 1895. p. 12.

²⁾ De hoc loco emendando cf. huius commentationis cap. XXXI.

effractores aut qui commendatas sibi res aut fidei suæ creditas obstinatis soleant cupiditatibus abnegare, aut nefariorum facinorum inventores vel executores. Faciunt enim aut *tortores* aut *carnifices* aut *proditores suorum* et ex istis artibus fortunæ ac facultatum sibi maximas substantias comparantes.» (Cf. etiam l. V. c. 6. §. 9: «Faciet etiam effractores fures malitiosos . . . aut *proditores suorum* facit.» l. VII. c. 23. §. 27: «sceleratos latrones periuros delatores et *suorum proditores* efficiunt.»

Scribendum est igitur loco corrupto: *proditores suorum*.)¹⁾

LIII.

L. III. c. 13. §. 5. agitur de Luna in tertio ab horoscopo loco constituta :

«In tertio loco Luna ab horoscopo constituta matrem ignobilem vel aliqua infamiæ faciet maculatione pollutam. Si vero in hoc loco cum Iove fuerit inventa, his qui sic eam habuerint, a fiscalibus vel a publicis annonis alimenta suppeditat. Si vero Iove et Luna in hoc loco constitutis Mercurius se aliqua radiatione coniunxerit, antistites faciet cuiusdam deæ vel potentissimæ religionis sacerdotes aut *publicarum . . . dispositores vel correctores.*»

(Cf. l. III. c. 7. §. 3: «Si vero Mercurius sic partiliter in nocturna genitura in horoscopo fuerit inventus, divinos sensibus facit et qui omnia, quæ volunt, facillimis semper rationibus consequantur; reddet etiam honestos moribus et graves, *rationibus etiam faciet præpositos* aut conductionum aut instrumentorum aut vectigalium aut negotiationum aut mensarum et fenerationis negotia tractantes.»

(Cf. l. III. c. 7. §. 5., ubi agitur de Mercurio in secundo ab horoscopo loco constituto: «Si vero sic positum Mercurium aliqua Iuppiter radiatione respexerit vel si cum eo fuerit inventus et Luna se illis bona coniunctione sociarit, facit magnis ac famosis locis præponi, sed qui non habeant potentiam principalem, sed in ipso actu alienæ potestati subiaceant. Facit autem *magnis rationibus præpositos*, reddit tales, qui facultates regias sua dis-

¹⁾ Cf. *Egyetemes Philologiai Közlöny*, ann. 1895. p. 7.

positione sustentent et qui omnes reditus regio thesaurosque suæ habeant fidei *dispositionique* commissos.»

(cf. l. III. c. 7. §. 9., ubi agitur de Mercurio in quinto ab horoscopo loco constituto: «faciet sane negotiosos ac *rationibus publicis* quacunque administratione præpositos.»

Lacuna igitur explenda est in modum: «publicarum *rationum dispositores* vel correctores.»¹⁾

LIV.

L. IV. præf. §. 1–2. auctor exponit, cur patrocina causarum deseruerit:

«Patrocina tractantes tenuerunt nos causarum conflictationes et caninæ, ut ita dicam, contentionis iurgiosa certamina, ex quo studio nihil mihi aliud per dies singulos nisi periculorum cumulus et grave onus invidiæ conferebatur; semper enim factiosis hominibus et quos impotentiae delectabat improbitas vel qui avaræ cupiditatis instinctu alienis inhiabant vel qui miseris hominibus ex iudiciorum metu terribiles videbantur, erecta constantiæ confidentia *resistebam*. Hinc mihi malignus livor invidiæ et periculorum procellæ improborum hominum pravis cupiditatibus parabantur. Deserui itaque hoc studium, ne imperitorum et delirorum hominum convalescente consensu pro alienis utilitatibus excubans maximis me insidiis et maximis periculorum discriminibus implicarem; quibus semper et sine intermissione contra me sævientibus et acerba odiorum continuatione certantibus nulla alia ratione *restitutionis quod* liberali animo contemptis forensibus lucris laborantibus hominibus ac varia rerum diversitate sollicitis purum ac fidele patrocinium defensionis exhibui.»

Corrupta sunt *restitutionis quod*, sed facile sanantur hunc in modum: «nulla alia ratione *restiti, nisi quod*... fidele patrocinium exhibui.» Ceterum cf., quæ supra leguntur: «erecta constantiæ confidentia *resistebam*.»²⁾

¹⁾ Cf. *Egyetemes Philologiai Közöny*, ann. 1895. p. 8.

²⁾ Cf. *Egyetemes Philologiai Közöny*, ann. 1895. p. 361.

LV.

Lib. IV. præf. §. 5., ubi agitur de utilitate astrologiæ: «Omnia enim, quæ Aesculapio Mercurius *einhnus* vix tradiderunt, quæ Petosiris explicavit et Nechepso et quæ Abram, Orfeus et Critodemus ediderunt ceterique omnes huius artis *antiscii*.»

Pro *einhnus* vix scribendum est *Anubiusque*, ut iam Teuffel (Hist. Litt. Rom. ed. IV. tom. 2. p. 1026.) rectissime monuit adferens l. III. c. 1. §. 1: «Mundi itaque genituram hanc esse voluerunt secuti Aesculapium et *Anubium*, quibus potentissimum Mercurii numen istius scientiæ secreta commisit.» Est autem hic Anubius Aegyptiorum deus, cui multi, cum Mercurio eum confundentes, stellarum doctrinam tribuerunt.

Corruptum est præterea *antiscii*; nam hoc loco non agitur de doctrina *antisciorum*, ea astrologiæ parte, quæ, quomodo stellæ vicissim umbris se obscurant, exponit, de qua re Firmicus quoque agit l. II. c. 29. Corruptus est igitur locus, sed facile sanabilis si scribimus: «huius artis *antistites*.»¹⁾ Nam eos ipsos, qui hic commemorantur, hoc nomine Firmicus ornat l. VIII. c. 5. §. 1: «Neque enim divini illi viri et sanctissimæ religionis *antistites*, Petosiris et Nechepso, quorum alter tenuit imperii gubernacula, cum omnia, quæ ad huius artis pertinent disciplinam, diligentissimis ac veris interpretationibus explicassent, hoc, quod nos edituri sumus, invenire potuerunt.» Sciendum denique, Firmico astrologiam esse *divinam scientiam* (cf. l. IV. præf. §. 5.) adeoque sanctam, ut astrologos etiam *sacerdotes* appellaverit. Cf. l. II. c. 30. §. 2. (cohortatio ad astrologum futurum): «Dato operam, ut instituto ac proposito tuo bonorum institutum ac propositum vincas *sacerdotum*; *antistitem* enim Solis ac Lunæ et ceterorum deorum, per quos terrena omnia gubernantur, sic oportet animum suum semper instruere, ut dignus esse tantis cærimoniis omnium hominum testimoniis comprobetur.»²⁾

¹⁾ Hæc mea coniectura nunc confirmatur testimonio Aldinæ Guelferbytanæ; cf. edit. Skutsch. tom. II. p. 552.

²⁾ Cf. *Quest. de Firm. Mat. astr.* Budapestini, ann. 1889. p. 7.

LVI.

L. IV. c. 1. §. 3. agitur natura hominis :

«Fabricator enim hominis deus cum animal hoc divina ac singulari artificii ratione componeret, immortalis animi divinitatem mortalis ac terreni corporis vinculis obligavit, ut *animus . . . intrinsecusque* diffusus et magnæ cuiusdam necessitatis obligatus imperio caducam servientis sibi corporis fragilitatem divinæ potestatis licentia gubernaret.»

Cum sciamus hominem secundum Firmicum Maternum ad similitudinem mundi esse formatum, videamus l. I. c. 5. §. 10., ubi agitur de mente divina universum mundi corpus complectente : «Mens enim illa divina animusque cælestis per omne mundi corpus in modum circuli collocatus et *nunc intrinsecus nunc extrinsecus positus* cuncta regit atque componit.»

Facile est igitur lacunam explere : «*animus extrinsecus intrinsecusque diffusus*; nam ut mens divina in corpore mundi, ita animus humanus, pars mentis divinæ, in corpore humano, parte mundi, et extrinsecus et intrinsecus diffunditur.»¹⁾

LVII.

Lib. IV. c. 1. §. 6. de Luna : «In posterioribus enim cæli regionibus collocata et terræ imperium ex vicinitate sortita omnia corpora, quæ inspiratione divinæ mentis animantur, cursus sui multiplici varietate sustentans et per signa omnia festina celeritate discurrens et omnibus stellis adsiduis se coniunctionibus socians ex contrariis mixturis et ex disparibus *ea mentis* integra compositi operis substantia mutuata omnia animantium corpora et concepta procreat et generata dissolvit.»

Corruptum est *ea mentis*, nec, quod codices recentiores exhibent, *fomentis* retineri potest. Scribendum est *elementis*, nam secundum Firmici doctrinam corpus hominis ad mundi similitudinem ex quattuor elementis compositum est, ut præfatio l. III. (§. 2.) docet : «Scire itaque nos principe in loco oportet . . . quod ad imaginem speciemque mundi formam hominis

¹⁾ Cf. *Egyetemes Philologiai Közöny*, ann. 1895. p. 8.

ac statum totanque substantiam deus ille fabricator hominis natura monstrante perfecit; nam corpus hominis ut mundi ex quattuor elementorum commixtione composuit, ignis scilicet et aquæ, aëris et terræ, ut omnium istorum coniunctio temperata animal ad formam divinæ imitationis ornaret et ita hominem artificio divinæ fabricationis composuit, ut in parvo corpore omnem elementorum vim atque substantiam natura cogente conferret, ut divino illi spiritui, qui ad sustentationem mortalis corporis ex cœlesti mente descendit, licet fragile, sed tamen simile mundo pararet hospitium.»¹⁾

LVIII.

L. IV. c. 2. §. 1 :

«Si se Luna Saturni adplicaverit stellæ et crescens lumine ista se Saturno societate coniungat vel sic ad Saturnum feratur, matri viduitatem aut *mulierum* locorum adsiduos dolores decernit.»

(Cf. l. IV. c. 24. §. 3 : «Si Luna cum Saturno in horoscopo fuerit partiliter inventa, faciet primos nasci aut primos nutrirî, sed *matribus miserum pondus viduitatis* imponit aut facit eos in templorum conversationibus detineri et ex necessariis aut ex *muliebribus locis* grave valitudinis discrimen indicit.» Eodem sensu *muliebria* (sc. loca) apud Tacit. Ann. XIV. c. 60.

Pro *mulierum* igitur scribendum *muliebrium*.²⁾

LIX.

L. IV. c. 4. §. 2. agitur de Lunæ et Martis coniunctione :

«Si vero diurna fuerit genitura et sic se Marti Luna coniunxerit, omni faciet . . . parte corporis amputatos; aliorum oculis nocet, aliorum stomachum latentium vitiorum continuatione debilitat. quos oligochronicos biothanaos facit.»

(Cf. l. III. c. 4. §. 10 : «Quodsi per diem sic fuerit inventus (sc. Mars), *debilitabit omne corpus*, faciet languidos caducos et qui ex ferro vulnera accipiant, reddet invalidos et quos feminæ semper impugnent, et qui a feminis magnis semper molestiis deterantur.»

¹⁾ Cf. *Quæst. de Firm. Mat. astr.*, Budapestini ann. 1889. p. 8.

²⁾ Cf. *Egyptemes Philologiai Közöny*, ann. 1895. p. 362.

Cf. etiam l. IV. c. 24. §. 7 : «Si Luna cum Marte in horoscopo partiliter fuerit inventa, peregrinam matrem aut debilem monstrat, sed ipsorum aut oculi debilitantur aut stomachus. Si vero fuerit diurna genitura, *toto corpore debilitabit aut partem amputat corporis.*»

Lacuna igitur certissima ratione expleri potest : «omni faciet *corpore debiles aut parte corporis amputatos.*»¹⁾

LX.

L. IV. c. 5 :

«Si Luna feratur ad Solem et ei se partili radiatione coniungat in qualicunque schemate, faciet periculosos miseris deiectos ac *miseris facultatibus* et in omni vita humili conversationis deiectione prostratos.»

Pro *miseris facultatibus* scribendum censeo : *miseriis, difficultatibus*. Cf. l. V. c. 3. §. 57 : «Sed nec virgines in Piscibus positus Saturnus decernit uxores, et cum in omnibus genituræ cardinibus circumiens fuerit, maximis *difficultatibus* et maximis eos faciet contrarietatibus implicari.» l. V. c. 4. §. 10 : «Tunc maximorum discriminum *difficultatibus* implicantur.» l. III. c. 5. §. 2 : «cum magnis periculis et impedimentis, magnis pugnis aut *difficultatibus* ducatus imperia potestatesque decernit.»

LXI.

L. IV. c. 7. §. 2 :

«Si vero ad Mercurium sic positum cum tali testimonio Iovis feratur Luna, faciet rationibus præponi fisci semper aut populi vel certe tales reddit, quibus *res posita* vel a peregrinis *rationibus* credantur ; facit etiam his pecuniarum actus adsiduis conversationibus credi.»

Quid sit *res posita*, quæ sint illæ *peregrinae rationes*, nemo explicare potest ; ceterum in codice Parisino, melioris notæ libro, non *peregrinis rationibus*, sed tantum *peregrinationis* legitur.

¹⁾ Cf. *Egyetemes Philologiai Közöny*, ann. 1898. p. 14. Mea coniectura nunc confirmatur testimonio codicis Neapolitani, qui habet : «omni faciet *parte corporis debiles aut parte corporis amputatos.*» Cf. edit. Skutsch. tom. II. p. 552.

Lacunam *Sittl* statuit post *posita*, sed in libris manuscriptis nullum exstat lacunæ vestigium. Totus locus emendari potest facillima coniectura: «quibus *deposita* vel a peregrinis *nationibus* credantur.»¹⁾

LXII.

L. IV. c. 8. §. 2. agitur de Luna, si ad nullum feratur:

«Verum si sic currens, id est per vacuum, benivolarum stellarum fuerit radiatione conventa, in prima ætate vacuos facit semper et nudos, sed adsiduis facit laboribus fatigari et miseriarum adsiduis rationibus quatit, maximis sudoribus et maximis laboribus *praesidia* quærentes.»

Quid hoc loco *praesidium* sibi velit, l. IV. c. 10. §. 10. docemur: «Erunt aquosis semper atque humidis actibus implicati aut adsiduis peregrinationibus errantes aut peregrinarum mercium gratia navigantes, ut ex ista conversatione *vitae* illis *praesidia quaerantur.*» (cf. l. III. c. 10. §. 10: «In octavo loco Mercurius et Iuppiter partiliter constituti, si in diurna genitura sic fuerint inventi, mediocres in vita facient et qui ex quibusdam inventionibus *vitae* sibi *praesidia compareat.*»

Lacuna igitur latet ante *praesidia* et explenda est vocabulo: *vita e.*²⁾

LXIII.

L. IV. c. 10. §. 3:

«Si vero Luna deficiens in nocturna genitura a Iove defluens feratur ad Martem, *primos*, claros faciet, et si Mars in principalibus genituræ locis fuerit inventus et Luna minuta luminibus in nocturna genitura a Iove defluens feratur ad Martem, faciet iudices duces et quibus summum potestatis credatur imperium.»

(cf. l. III. c. 3. §. 18: «In decimo loco Iuppiter ab hæroscopo constitutus, id est in mediæ cælo partiliter per diem, publicorum negotiorum faciet principes, faciet maximarum *civitatum decem primos*³⁾ et quibus a populo honores maximi conferantur, *claros* et

¹⁾ Cf. *Egyetemes Philologiai Közöny*, ann. 1895. p. 362.

²⁾ Cf. *Egyetemes Philologiai Közöny*, ann. 1898. p. 15.

³⁾ De hac emendatione cf. commentationis huius cap. XXIX.

qui se velint semper gratia ostentationis excerere.» L. III. c. 10. §. 1 : «Mercurius cum Iove partiliter in horoscopo constitutus in diurna genitura faciet *claros* et gloriosos, civitatibus præpositos aut maximarum *civitatum decem primos iuridicos.*» L. III. c. 10. §. 9 : «Faciet enim a mulieribus felicitates maximas conferri et faciet publicis muneribus præpositos et populorum aut *civitatum* principes aut *decem primos.*» L. III. c. 6. §. 23 : «Interdum nobilium *civitatum* faciet *decem primos.*» L. III. c. 3. §. 1 : «Si Iuppiter in primo cardine partiliter id est in parte horoscopi fuerit constitutus . . . faciet nobiles gloriosos, magnis semper præpositos civitatibus, interdum magnarum *civitatum decem primos.*» L. III. c. 3. §. 1. «Si Iuppiter in primo cardine partiliter id est in parte horoscopi fuerit constitutus . . . faciet nobiles gloriosos, magnis semper præpositos civitatibus, interdum magnarum *civitatum decem primos.*»

Quare lacuna ante *primos* statuenda et sic explenda est : «*civitatum decem primos.*»¹⁾

LXIV.

L. IV. c. 10. §. 4 :

«Si vero per diem deficiens Luna et a Iove defluens feratur ad Martem, paternum ac maternum patrimonium dissipat et parentes in prima ætate eius perimit et onus extremæ mendicitatis imponit, aliis vitium acerbi doloris infligit ; facit interdum servos, interdum captivos, plerumque biothanatos, præsertim si sic currente Luna Mars in cardinibus fuerit inventus vel si in anaphoris vel cataphoris ; tunc enim, quæ diximus, . . . cum in his locis constituto Marti Luna ista se societate coniunxerit.»

Cf. l. IV. c. 3. §. 2 : «Sed hæc *tunc complentur*, si sic Lunam positam vel crescentem vel minutam Mars de diametro vel quadrato non viderit.»

Lacuna igitur explenda est : «tunc enim, quæ diximus, *complentur.*»²⁾

¹⁾ Cf. *Egyetemes Philologiai Közöny*, ann. 1895. p. 362.

²⁾ Cf. *Egyetemes Philologiai Közöny*, ann. 1898. p. 16.

LXV.

L. IV. c. 10. §. 9: agitur de Luna a Iove ad Mercurium defluente:

«Si vero minuta lumine a Iove defluens feratur ad Mercurium, ex litteris vel ex disciplina aliqua aut ex horreis et ex negotiationibus faciet vitæ substantiam vel subsidia quærentes; quidam *hereditates* aliquas *consecuntur*, alii . . . *invenient*, alii *commendatas* sibi *res abnegant*, ut ex ista perfidia patrimonii sibi præsidia comparent.»

Cf. l. IV. c. 12. §. 4., ubi agitur de Luna a Sole ad Mercurium defluente: «Frequenter tamen, si eos Iuppiter trigonica radiatione respexerit, curam civitatis tuitionemque suscipiunt. Erunt autem difficultium litterarum aut sophiæ cuiusdam inventores aut cælestibus religionibus dediti et quibus divinitatis secreta credantur aut absconsarum et illicitarum litterarum actibus inhærescunt; alii *absconsas res inventient*, aliis *confertur hereditas*, si tamen alieni fuerint ab his Mars pariter et Saturnus.» (Cf. deinde l. IV. c. 14. §. 6., ubi agitur de Luna a Mercurio ad Iovem defluente: «Si vero a Mercurio defluens minuta lumine Luna ad Iovem feratur, aut rationibus præponit aut ex fenore negotiationibus facit esse præpositos aut facit actores et tales, quibus publica vel fiscalia instrumenta credantur, aut ponderibus publicis aut fiscalibus facit præponi aut privatarum litium iudices facit et ex his actibus maxima facultatum incrementa decernit, sed et felicitatis largitur insignia: aliis *hereditates decernit*, alios *res depositas et absconsas invenire* compellit, *apud alios res commendatae remanent* et apud eos sine fraudis vitio perseverant, ut ex istis rebus gloria et substantia illis et magna felicitas comparetur.» l. III. c. 7. §. 17: «faciet alieni patrimonii *heredes* et qui casu *absconsas inveniant facultates*.»

Unde certissima fit emendatio: «*alii absconsas res inventient.*»¹⁾

¹⁾ Cf. *Egyetemes Philologiai Közlöny*, ann. 1895. p. 9.

LXVI.

L. IV. c. 11. §. 9 :

«Si vero sit minuta lumine (sc. Luna) et sic a Marte defluens ad Iovem feratur, faciet publicis quisbusdam certaminibus destinatos, sed qui semper præconio bonitatis ornentur ; aut gloriosos milites facit et his adsidua felicitatis incrementa decernit et hos eosdem crebris honorum promotionibus *late patet* et variis facit generibus gloriosos.»

Corruptum est *late patet*. Cf. supra §. 8 : «Si a Marte defluens Luna plena vel crescens lumine ad Iovem feratur in opportunis genituræ locis, facit duces ducentes exercitum *potentes imperiosos.*» (Cf. etiam l. III. c. 4. §. 29 : «Si vero in medio cælo per noctem constitutus, in quali diximus signo, coniunctionem Lunæ venientis acceperit (sc. Mars), Iuppiter vero alium genituræ possederit cardinem et ipse nihilo minus vel in domo sua vel in altitudine sua vel in finibus constitutus, *potentes* duces ac *totius orbis dominos* efficiet.

Pro *late patet* igitur scribendum : *late potente s.*¹⁾

LXVII.

L. IV. c. 12. §. 1. agitur de Luna a Sole ad Venerem defluente :

«Erunt præposteris amorum vitiis obligati aut impuris aut turpibus cupiditatibus dediti, servilibus semper studiis et servilibus actibus occupati, *facultatibus nimia* comparantes et per semet ipsos vitæ sibi subsidia maxima quærentes, et qui felicitatis augmenta processu temporis consequantur.»

Cf. l. IV. c. 12. §. 8 : «Si a Sole defluens Luna ad Saturnum feratur et sit diurna genitura, patrimonium dissipat, parentes dividit et ipsis miseræ orbitatis indicit incommoda, sed processu temporis ipsis *maximam* decernit *substantiæ facultatem* et magnarum felicitatum tribuit augmenta et multorum fundamentorum dominia largitur.» l. IV. c. 12. §. 8 : «Si vero per noctem a Sole defluens ad Iovem feratur, faciet per semet ipsos sibi *facultatium substantiam comparantes.*» l. III. c. 11. §. 13. (de Mercurio in octavo

¹⁾ Cf. *Egyetemes Philológiai Közlöny*, ann. 1898. p. 16.

ab horoscopo loco cum Marte partiliter constituto): «faciunt enim aut tortores aut carnifices aut proditores suorum et ex istis artibus fortunæ ac facultatum sibi maximas substantias comparantes.»

Unde sponte sequitur facilis emendatio: «*facultatis substantiam nimiam comparantes.*»¹⁾

LXVIII.

L. IV. c. 12. §. 5:

«Si vero per noctem a Sole defluens Luna ad Saturnum feratur, orbitatis . . . indicit et patrimonia minuit et malarum peregrinitatum decernit incommoda, facit etiam gravia vitia et graves validudines aut periculorum gravium et violentorum facit casibus implicari.»

(Cf. l. IV. c. 13. §. 13: «Si a Venere defluens Luna feratur ad Solem, parentes acerba dissensione dissociat aut ipsis *onus miserae orbitatis indicit, patrimonium*»²⁾ et vitæ decernit angustias, impuros facit et qui miseris amorum vitiis obligentur.»

Scribendum igitur: *orbitatis onus indicit.*³⁾

LXIX.

L. IV. c. 12. §. 7:

«Si vero per noctem a Sole defluens ad Iovem feratur (sc. Luna), faciet per semet ipsos sibi facultatum substantiam comparantes et qui sint adsiduis peregrinationibus dediti, sed hos in prima iuventute decipit et, cum fuerint eorum *propectu temporis aetatis*, commendationes bonas et *idoneas* decernit *subsidiï facultates.*»

Prima corruptela sananda est hunc in modum: «*propectae tempore aetates*;»⁴⁾ cf. l. IV. c. 13. §. 3: «Si a Venere defluens Luna ad Saturnum feratur, si sit crescens aut plena luminibus et sit nocturna genifura, aut *propectae aetatis* dabit uxorem aut publi-

¹⁾ Cf. *Egyptemes Philologiai Közöny*, ann. 1895. p. 10.

²⁾ Corruptum! Emendationem vide infra cap. LXXI.

³⁾ Cf. *Egyptemes Philologiai Közöny*, ann. 1895. p. 11.

⁴⁾ Cf. *Egyptemes Philologiai Közöny*, ann. 1895. p. 363.

cam mulierem ad consortium tori genialis adducit.» In fine autem scribendum: «*idonea* decernit *subsidia facultatis*; cf. l. V. c. 4. §. 17: «tunc consequentur *idonea subsidia facultatum*, quotiescunque Iuppiter post excessum Saturni ad opportuna genituræ venerit loca.» L. V. c. 6. §. 1: «Faciet per semet ipsos *idonea* sibi quærentes *subsidia facultatum*.»

LXX.

L. IV. c. 12. §. 10. (si a Sole defluens Luna feratur ad Martem): «Si vero in deiectis locis fuerit ista coniunctio sine benivolæ stellæ testimonio, patrimonium minuit, orbari a parentibus facit, humilitat vitam, vitia valitudines decernit aut certe facit biathanatos interire. *Actus* vero aut ex igne aut ex ferro aut ex metallo facit aut tales certe, ut sempiterni laboris continuationibus deterrantur.»

Cf. l. IV. c. 10: «Quodsi in deiectis locis Marte constituto sic ad eum Luna feratur, *ignitus artes* decernit, sed ipsos facit humiles et abiectos et valitudines et vitia et malæ mortis discrimina frequenti ratione decernit.» L. IV. c. 20. §. 2: «Si vero Mars *actus* decreverit et bene fuerit collocatus et benivolis stellis opportuna fuerit radiatione coniunctus et sit nocturna genitura, dat arma ducatus ac gloriam, licentiam gladii et maximarum potestatum decernit insignia, prout se decreti totius potestas extulerit, aut certe *claras artes* et nobiles *ex igni et ex ferro* facit et quæ ad omnium scientiam famoso nobilitatis indicio perferantur.» L. III. c. 5. §. 28: «Quodsi in septimo genituræ loco vel in quocunque alio cardine solus Sol cum Marte fuerit inventus vel in secundo genituræ loco vel in quinto vel in octavo vel in undecimo, *artes* ¹⁾ dabit *ex igne et ferro* et quæ ex alia duritia fabricentur. Sed in cardinibus Sol et Mars pariter constituti perpetua hæc *artificia* decernunt.»

Pro *actus* igitur loco in quæstionem vocato scribendum videtur: *art e s.*

¹⁾ Ex coniectura Krollii pro lectione codicum corrupta: *mart.*

LXXI.

L. IV. c. 13. §. 13., ubi agitur de Luna a Venere ad Solem defluente :

«Si a Venere defluens Luna feratur ad Solem, parentes acerba dissensione dissociat aut ipsis onus miseræ orbitatis indicit, *patrimonium* et vitæ decernit angustias, impuros facit et qui miseris amorum vitiis obligentur.»

Lacunam latere suspicor post *patrimonium*. Cf. l. IV. c. 12. §. 5 : «Si vero per noctem a Sole defluens Luna ad Saturnum feratur, *orbitatis onus*¹⁾ indicit et *patrimonia minuit* et malarum peregrinitatum decernit incommoda.» L. III. c. 14. §. 4. (de Luna in loco Fortunæ) : «Si in hoc loco posita in nocturna genitura crescens lumine ad Saturnum feratur vel cum ipso sit, paternum ac maternum *patrimonium minuet*.» L. IV. c. 4. §. 3. (de Luna ad Martem) : «si crescens lumine Luna se Marti coniunxerit, *patrimonium minuit*, parentes separat aut interemptis parentibus *orbitatis* faciet *miseriis* fatigari.» L. IV. c. 12. §. 10 : «*patrimonium minuit, orbari* a parentibus facit.»

Ex loco collato lacuna hunc in modum expleri posse videtur :
«*patrimonium minuit*»

LXXII.

L. IV. c. 14. §. 10. agitur de decretis Lunæ :

«Alii fiunt publici carnifices et quibus publicarum animadversionum officia credantur, aut exceptores personalium causarum fiunt aut qui . . . officia pertractent, aut adiutores fiunt huiusmodi hominum et damnatorum aut carceris publici fiunt ex ista coniunctione custodes.»

Explenda est lacuna. Cf. l. III. c. 4. §. 17 : «Faciet autem (sc. Mars) laboriosos homicidas et sceleratos, reos, facinorum inventores aut tortores aut carnifices aut proditores.» L. III. c. 5. §. 26 : «Erunt homicidiis publicis præpositi et *exceptores* earum sententiarum, quæ *de hominum capitibus* proferuntur . . . aut clavicularii aut carceris custodes et quibus publicarum catenarum vincula committantur, aut præpositi carnificum aut *carnifices*

¹⁾ Ex mea coniectura ; cf. supra cap. LXVIII.

et qui *damnatos homines flagellis lacerare consuerint* et cetera his similia.» L. IV. c. 14. §. 14: «Aut *tortores* enim aut *carnifices* aut *delatores* faciet.»

Scribendum igitur censeo: «qui *tortorum* officia pertractent.»¹⁾

LXXIII.

L. IV. c. 14. §. 16. agitur de stellarum decretis, si a Mercurio defluens Luna in nocturna genitura plena luminibus feratur ad Venerem:

«Alios oratores facit, sed affluentia sermonis . . . alios poetas facit et eos divinorum carminum auctoritate nobilitat aut in officiis deorum vel in officiis imperatorum adsidua honorum continuatione constituit aut ex personis et commendationibus mulierum aut ex muliebribus quibusdam actibus ad felicitatem et potentiam perducit cum gratia venustatis.»

Cf. l. IV. c. 19. §. 24: «Si Mercurius genituræ dominus fuerit . . . et si in domo quidem sua fuerit inventus, cum genituræ fuerit dominia sortitus, vel in finibus suis vel in altitudine sua vel in domo Veneris et se sub trigonica radiatione formaverit, faciet *poetas, oratores, affluentia grati sermonis ornatos.*» L. VIII. c. 30. §. 7: «In XIX. parte Piscium quicumque habuerit horoscopum, erit orator advocatus *affluentia docti sermonis ornatus.*»

Lacuna igitur sic explenda est: «*affluentia sermonis ornatos.*» (Cf. etiam l. V. c. 2. §. 13: «oratores, sed nobili *affluentia sermonis ornatos.*»²⁾)

LXXIV.

L. IV. c. 16. §. 8:

«Si vero cum Marte sic, sicut diximus, fuerit inventa (sc. Luna), magnorum malorum decernit exitia; erunt enim aut . . . secundum signorum naturam biothanati; sed hæc mala medioeriter mitigantur, si in feminino signo Mars fuerit inventus.»

Cf. ibidem §. 10: «Si vero per noctem minuta luminibus Saturno retrogrado vel stationem facienti se Luna coniunxerit, magnarum

¹⁾ Cf. *Egyetemes Philologiai Közöny*, ann. 1898. p. 17.

²⁾ Cf. *Egyetemes Philologiai Közöny*, ann. 1895. p. 363.

infelicitatum decernit *exitia*; ¹⁾ quidam *secundum naturam signorum vel secundum locorum potestatem* biothanati pereunt; sed hæc infortunia ex aliqua parte mitigantur, si in feminino signo Saturnus fuerit inventus.»

Facile igitur locum lacuna mutilatum in integrum restituere possumus hunc in modum: «aut *secundum locorum potestatem aut secundum signorum naturam.*²⁾»

LXXV.

L. IV. c. 16. §. 10:

«Si vero per noctem minuta luminibus Saturno retrogrado vel stationem facienti se Luna coniunxerit, magnarum infelicitatum decernit . . . ; quidam *secundum naturam signorum vel secundum locorum potestatem* biothanati pereunt, sed hæc infortunia ex aliqua parte mitigantur, si in feminino signo Saturnus fuerit inventus.»

(Cf. ibidem §. 2: «si enim Iuppiter et Venus istas omnes coniunctiones vel deflectiones, per quas misera hominibus decernuntur *exitia*, bona radiatione respexerint, decretorum malorum et *miseræ calamitatis exitia* mitigantur.» Ibidem §. 5: «Si enim fortis eius radiatio fuerit, fortia mala et *magnorum infortuniorum* ei decernit *exitia*; si media fuerit radiatio, *malorum* temperatur *exitium*.» Ibidem §. 8: «Si vero cum Marte sic, sicut diximus, fuerit inventa (sc. Luna), *magnorum malorum* decernit *exitia*.»

Lacuna igitur facillime expletur, si scribimus: «magnarum infelicitatum decernit *exitia*»³⁾.

LXXVI.

L. IV. c. 17. §. 6. agitur de loco et efficacia Fortunæ:

«Vide ergo dominum totius signi qui est, et dominum partis istius, id est in cuius stellæ finibus ista pars sit et quo in loco sit uterque dominus signi pariter et partis, eius scilicet partis, in qua

¹⁾ De hac coniectura cf. commentationis huius cap. LXXV.

²⁾ Cf. *Egyetemes Philologiai Közlöny*, ann. 1895. p. 364.

³⁾ Cf. *Egyetemes Philologiai Közlöny*, ann. 1895. p. 364.

locus Fortunæ fuerit inventus, et in quibus genituræ locis sint constituti, an in principalibus id est in cardinibus aut in secundis locis an in deiectis . . . et si dominus partis ipsius, id est si dominus finium, in quibus locus Fortunæ fuerit inventus, ipsam partem ex eo loco, in quo est, opportunis radiationibus respicit et si sint ambo invicem sibi cardinaliter *tunc.*»

Verba ultima sensu carent. (Cf. l. II. c. 29. §. 9: «Si quæ se itaque stellæ in ordinatione genituræ non viderint, quærendum est, an *sibi* per antiscium sociata radiatione *iungantur.*» l. II. c. 23. §. 1: «Omnia signa *invicem sibi* obligata *iungantur.*» l. II. c. 23. §. 2: «Unde omnia *sibi* signa *invicem* vicinitas coniunctionis adsociat; quæcunque itaque integro partium numero iuncto CCCLX partes fecerint, ipsa *sibi* æquata societatis ratione *iungantur.*»

Locus igitur emendandus est huncce in modum: «Et si *sint* ambo *invicem sibi* cardinaliter *iuncti.*»¹⁾

LXXVII.

l. IV. c. 17. §. 12:

«Si vero illis tribus, quibus ante diximus, male positus inum cælum et anaphora horoscopi *nondum* benivolarum stellarum præsidio relinquatur, infelix misera et omni malorum erit. ista genitura continuatione depressa.»

(Cf. l. II. c. 20. §. 4–5., ubi agitur de stellis benivolis et malivolis: «Quemcunque enim locum benivolæ stellæ respexerint . . . omnia quæ quærenda diximus, feliciter proveniunt. Si vero sine testimonio benivolarum stellarum *solæ malivolæ stellæ* . . . hæc eadem infecerint loca, pro qualitate uniuscuiusque loci omnia, quæ diximus in singulis locis videri debere, crebris infortuniorum calamitatibus cumulant.» Cf. etiam l. IV. 19: «Si ergo malignus fuerit, benivolarum stellarum prosperis radiationibus mitigatur et tota malitiæ mutatur improbitas et, licet sit ad nocendum paratus, ex bonarum stellarum testimonio gratia quodammodo inficitur, præsertim si *omnium benivolarum stellarum* radiatione conventus sit.»

Pro *nondum* igitur scribendum est *omnium*; nam secundum astrologos tunc erit infelix, misera et omnibus malis referta

¹⁾ Cf. *Egyetemes Philologiai Közöny*, ann. 1895. p. 11.

genitura, si *omnium* benivolarum stellarum præsidio relinquatur.¹⁾

LXXVIII.

L. IV. c. 19. §. 5 :

«Si Saturnus dominus genituræ fuerit effectus et sit opportune in genitura positus et ei dominium crescens Luna decreverit, faciet homines *inflatos*, spiritu sublevatos, honoratos bonos graves, boni consilii et quorum fides recto semper iudicio comprobetur.»

Corruptum videtur *inflatos*; scribendum fortasse: *inflato* spiritu sublevatos.» (cf. l. IV. c. 19. §. 32: «Si Sol cum domino genituræ hac, qua diximus, fuerit radiatione coniunctus, cum ceteris, quæ dominus genituræ dederit, hæc etiam a Sole pro naturæ suæ potestatibus conferuntur. Facit itaque homines *plenos fidei*, sed *inflato* superbiæ *spiritu sublevatos*.» L. V. c. 1. §. 22: «Erunt semper *erecto spiritu sublevati*.»)

LXXIX.

L. IV. c. 19. §. 5. de Saturno genituræ domino :

«Corpore erunt modici pallidi languidi, frigido ventre et qui adsidue *reiectare* consueverint et quos semper malignus humor impugnet et quos intrinsecus collectus dolor adsidua ratione disrueat.»

Ante *reiectare* lacuna statuenda et sic explenda esse videtur: *sanguinem reiectare*. (cf. l. IV. c. 9. §. 4: «(Luna) longæ ac maximæ ægritudinis tormenta decernit et quibusdam eam facit vitiis obligari, sed et malæ mortis . . . discrimen impingitur, ut *adsidue vomens sanguinem* pereat.» L. VII. c. 9. §. 3: «Si Sol in anaphora horoscopi fuerit inventus et Mars eum quadrata radiatione respiciat, *sanguinem reiectans* pater interibit.» L. VII. c. 20. §. 11: «Sed et si Mars et Saturnus diametra se radiatione respiciant, *sanguinem reiectantes* efficiunt.» L. VII. c. 23. §. 4: «aut cruditate aut phthisi aut nigro felle aut *sanguinis reiectione* . . . faciet interire.»)

¹⁾ Cf. *Egyetemes Philologiai Közöny*, ann. 1895. p. 12.

LXXX.

L. IV. c. 19. §. 6. agitur de Saturno genituræ domino :

«Si vero in Martis finibus fuerit vel in domo Martis vel in domo Lunæ fuerit inventus (sc. Saturnus), faciet tristes laboriosos sordidos humiles ingloriosos et qui adsiduis lugubris *tristitia* . . . sordidentur.» Cf. l. III. 6. §. 25 : «In duodecimo loco Venus ab horoscopo constituta si in nocturna genitura sic fuerit inventa, faciet mulierum causa *assiduo tristitiæ dolore* cruciari.»

Scribendum est igitur : «qui adsiduis lugubris *tristitiæ doloribus* sordidentur.»¹⁾

LXXXI.

L. IV. c. 19. §. 9 :

«Si Iuppiter dominus genituræ fuerit, facit homines magni animi magna appetentes et quibus fides semper habeatur et qui ad magnos actus semper *inflentur* et qui plus sibi dent, quam patrimonii vel potentiae facultas exposcat, imperiosos et in omnibus actibus suis nobiles gloriosos.»

Pro inepto *inflentur* scribendum videtur *impellantur*; origo mendæ ex corrupto *implantur*. Cf. l. V. præf. §. 4 : «ad istam nos interpretationem nescioquod *impulit* numen;» l. VIII. c. 10. §. 2 : «quos *ad* omne convicium incautus sermo semper *impellat*;» l. VI. c. 30. §. 15 : «viros vero *ad* omnia vitia libidinum semper *impellit*.»

LXXXII.

L. IV. c. 19. §. 17 :

«Si Venus domina genituræ fuerit effecta, facit homines delectabiles lætos *vocabiles*, adsiduo lusu vacantes, amabiles gratos venustos amatores libidinosos pios iustos et apud quos integra et incorrupta amicitiae necessitudo permaneat.»

Corruptum est *vocabiles*; scribendum fortasse : *affabiles*, quod et præcedentibus et sequentibus epithetis optime respondere videtur. Cf. Cic. De off. I. 31 : «Cum in omni sermone omnibus

¹⁾ Cf. *Egyetemes Philologiai Közöny*, ann. 1895. p. 365.

affabilem se esse vellet ; Corn. Nep. Alcib. I. : «*affabilis, blandus* ;» Cic. De off. II. 14 : «*Difficile dictu est, quantopere conciliet animos hominum comitas affabilitasque sermonis.*»

LXXXIII.

L. IV. c. 19. §. 22. agitur de Venere genituræ domina :

«*Quodsi sic Venere collocata Mercurius aut in domo sua aut in finibus suis aut in altitudine sua aut in domo Veneris aut in finibus Veneris fuerit inventus et sit in opportunis genituræ locis positus, faciet poetas, sed quorum carmina fulgido gratiæ splendore nobilitas ; si vero fuerit diurna genitura, decernit quidem nihilo minus paria, sed hæc omnia quantulacunque ratione debilitat.*»

Recentissimi editores pro *nobilitas* scribendum censent *nobilitantur* vel *nobilitentur*. Sed cf. l. IV. c. 14. §. 16 : «*Alios oratores facit, sed affluentia sermonis ornatos ;*¹⁾ *alios poetas facit et eos divinorum carminum auctoritate nobilitat.*»

Scribamus igitur etiam hoc loco : *nobilitat*²⁾ (sc. Venus poetarum carmina), quod proxime accedit ad codicum scripturam, Ceterum cf. verba, quæ corruptelam statim sequuntur : «*Si vero fuerit diurna genitura, decernit quidem nihilo minus paria, sed hæc omnia quantulacunque ratione debilitat*» sc. Venus. Ut igitur hoc loco non *debilitantur*, sed *debilitat* codices exhibent, ita etiam supra activa verbi forma restituenda est.

LXXXIV.

L. IV. c. 19. §. 29. agitur de Mercurio, genituræ domino :

«*Faciet etiam magistros aut grammaticæ artis aut oratoriæ aut philosopharum litterarum interpretes ac magistros et qui omnia negotiationis officia facili ratione pertractent, accipientes pariter ac exhibentes fidele commercium. Erunt sane in omni negotiatione solliciti, utiles et qui substantiæ facultates suis viribus colligant, patres familiæ ab omni luxuriarum sepositi voluptate,*

¹⁾ De hac coniectura cf. commentationis huius cap. LXXIII.

²⁾ Coniectura mea nunc confirmatur testimonio codicis Nea politani ; cf. edit. Skutsch. tom. II. p. 554.

iusti, sibi vacantes et a conversationis publicæ strepitu separati et qui omnes religiones ac deos cum quadam trèpidatione *suscipiant*.»

Corruptum est *suscipiant*; sed plana fiunt omnia, si scribimus levissima mutatione *suspiciant*; verbum enim suspiciendi sensu translato idem fere significat ac *venerari* aut *colere*.¹⁾

LXXXV.

L. IV. c. 20. §. 8 :

«Si enim, quæ periculum facit stella, in bonis locis fuerit inventa vel in his, in quibus gaudet, signis et finibus, et a benivolis respiciatur et in genitura bene sit collocata, discrimen imminentis periculi mitigatur. Si vèro aliter fuerit et nocendi licentiam permissa sibi potestate perceperit, facit hominem *inexplicabilium* miseriarum laqueis implicari, ut mors imminens vel periculum nulla possit ratione vitari.»

Corruptum est *inexplicabilium*; scribendum videtur *inextricabilium*, quod aptissime iungatur cum sequente: *laqueis*. (Cf. Hor. Carm. III. 5. vs. 31—32 :

Si pugnat *extricata* densis

Cerva *plaqis*.

Verg. Aen. VI. vs. 27. (de labyrintho) : «Hic labor ille domus et *inextricabilis* error» et Lactant, Div. inst. III. 17, 17 : «*inextricabiles* errores.»

LXXXVI.

L. IV. c. 21. §. 9. agitur de quæstione, quos actus hominibus Mercurii stella decernat :

«Si Mercurius autem decreverit et fuerit in principalibus locis constitutus, sicut de Venere et de Marte ante diximus, et sit in sua altitudine vel in finibus suis aut in domo sua, omnia pro sua natura decernit ; facit enim aut reges aut iudicibus præpositos aut eis rationes regias credi aut magistros imperatorum, aut his similes actus omni ratione decernit secundum signorum naturam et eorum potestatem, qui et testimonium commodarint.

Pro et scribendum est *ei* (scil. Mercurio) ; cf. l. III. c. 8. §. 10 :

¹⁾ Cf. *Egyetemes Philologiai Közöny*, ann. 1895. p. 13.

«præsertim si bonum eis Iuppiter testimonium commodarit;» l. VI. c. 17. §. 2: «et si nullum illis Iuppiter testimonium commodarit.»¹⁾

LXXXVII.

L. IV. c. 21. §. 11—12: de Mercurio actus decernente, cui Mars testimonium perhibeat :

«Generaliter itaque illud scire debemus, quod, quotiescumque Mercurius actum decreverit, si benivolarum stellarum fuerit testimoniis adornatus, gloriam honorumque processus et maximæ auctoritatis decernit insignia ; contra vero malivolæ stellæ deiectionem humilitates miserias infamiasque decernunt ; sed in ipsis decretis ex natura stellarum non modicâ differentia est. Mars enim testimonium perhibens faciet *auctores* audaces periculosos cito mobiles et qui omni ratione fallantur et qui nunquam alicuius potestatis subiugentur licentia.»

(Confer l. IV. c. 21. §. 2., ubi agitur de Marte actus decernente : «Si ergo *Mars* actus decreverit et bene fuerit collocatus et benivolis stellis opportuna fuerit radiatione coniunctus et sit nocturna genitura, dat arma *ducatus* ac gloriam, licentiam gladii et maximarum potestatum decernit insignia, prout se decreti totius potestas extulerit, aut certe claras artes et nobiles ex igni et ex ferro facit et quæ ad omnium scientiam famoso nobilitatis indicio perferantur.» L. IV. c. 19. §. 15 : «Quodsi fuerit nocturna genitura et ipse (scil. *Mars*) in domo Saturni vel in domo Iovis fuerit inventus vel in finibus eorum vel in domo sua vel in finibus suis et quinto vel in XI. ab horoscopo loco constitutus vel in imo cælo vel in horoscopo et deficientem respexerit Lunam vel deficiens Luna dominium Marti decreverit et Iovis stella se cardinibus trigonica radiatione coniungat, faciet *duces* tribunos terribiles ac potentes et qui regiones maximas et multas civitates obtineant.» L. III. c. 4. §. 2 : «Si vero per noctem horoscopus in *Martis* domicilio sit constitutus, in signo scilicet masculino, et in eodem signo id est horoscopo *Mars* fuerit inventus et Iuppiter cum eo sit partiliter in eodem signo aut solida eum radiatione respexerit, faciet *bellorum duces*, sed quibus omnis committatur exercitus, mortis ac vitæ dominos et

¹⁾ Cf. *Egyetemes Philologiai Közöny*, ann. 1895. p. 13.

quorum adventum civitates semper aut provinciæ maxime perhorrescant, felices *fortes graves*.»

Quare pro corrupto *auctores* legendum est *ductores*; Mars enim testimonium perhibens secundum naturam suam duces facit.¹⁾

LXXXVIII.

L. IV. c. 24. §. 11 :

«Hæc nos in ultimis libri partibus breviter dixisse sufficiat: hoc enim iste ultimus operatus est sermo, ut omnium præcedentium disputationum et omnium... ad memoriam tuam revocaret effectum.»

Explenda est lacuna. (cf. l. I. præf. §. 8: «Ne in istis libris pondus et gratia perfectæ orationis, *tractatus* maximi aut graves firmæque sententiæ requirantur.» L. III. c. 14. §. 10: «Quem *tractatum*, ne quid a nobis prætermissum esse videatur, in quarti libri principiis explicamus.» L. IV. c. 25. §. 4: «Sed nos in omni *tractatu* partili debemus omnia ratione tractare.» L. IV. c. 25. §. 5: «Nunc residuus *tractatus* ad quinti libri principia transferatur.» Lacuna igitur explenda est vocabulo: *tractatum*.²⁾

LXXXIX.

Lib. V. præf. §. 6: «Vestri itaque date mihi decreti præsidium et trepidationem animi vestra maiestate *formate*, ne numinis vestri præsidio destitutus ordinem non possim promissi operis invenire.»

Hoc loco scriptor auxilium siderum invocat. (cf. quæ præcedunt: «Vosque perennium siderum cursus, Luna etiam humanorum corporum mater... Sol optime maxime.» Pro *formate* scribendum *firmate*³⁾; cf. l. VIII. c. 1. §. 5: «Considerantes igitur originis nostræ principium et *animum* nostrum *maiestatis* suæ præsidio *roboratum*.»

¹⁾ Cf. *Egyetemes Philologiai Közlöny*, ann. 1895. p. 14.

²⁾ Cf. *Egyetemes Philologiai Közlöny*, ann. 1898. p. 19.

³⁾ Hanc coniecturam in apparatu critico editionis suæ Skutsch sibi vindicat, sed errat vehementer. Mea est enim emendatio, quam publici iuris feci iam anno 1889. (1) p. 9. commentationis meæ: *Questiones de Firmico Materno astrologo*.

XC.

L. V. c. 1. §. 2. agitur de horoscopo in Ariete :

«Sed et ipsum vitii cuiusdam acerbitate debilitat, nomen semper odio persequitur, paterna substantia in statu eodem non perseverat, sed nunc dilapidata dispergitur et rursus dissipata colligitur. Videbitur sane quibusdam ex nimia liberalitate *tutior*, aliis liberalitatis eius *constantia* displicebit, et beneficia sua præstabit ingratis, ut nunquam ei pares gratiæ rependantur.»

Corruptum est *tutior*. Cf. l. V. c. §. 8 : «Si Mercurius in ipsis partibus fuerit inventus, faciet... sumptuosos *profusos*... et qui sine consilio aut dispositione sumptus suos erogare contendunt.» L. V. c. 4. §. 13 : «Erunt sane felices, per semet ipsos felicitatis insignia consecuti, posteaquam patrimonium paternum fuerit amissum. Erunt tamen fortes animo, *profusi liberales* et qui res alienas prava cupiditate desiderent.» L. III. c. 4. §. 1 : «plus volentes donare, quam patrimonii ipsorum substantia patitur, ita ut *profusi esse videantur*.»

Pro *tutior* igitur scribendum videtur *profusior*, pro *constantia* cum editione principe¹⁾ fortasse *inconstantia*. Legimus enim ibidem de eodem homine : «Erit sane *mutabilis*.»

XCI.

L. V. c. 3. §. 22. de Saturno in Leone :

«Habebunt sane substantiam ex aliena sibi largitione collatam, sed tantam, ut aliorum possint angustias sublevare. Erunt *liberorum* defensores, laborantibus hominibus semper patrocinia commodantes.»

Corruptum est *liberorum*; nam *liberorum defensores* quid sibi velint, nescio. Agitur certe hoc loco de causarum patronis (*patrocinia*), quare pro *liberorum* scribendum mihi videtur : *libenter reorum*. Auctor enim hoc loco eos, qui in genitura Saturnum in Leone habent, tales fieri dicit, qui aliorum miserias angustiasque sublevare sint parati.

¹⁾ Venetiis ann. 1497.

XCII.

L. V. c. 3. §. 35. agitur de Saturno in Scorpione :

«Ipsi vero in prima ætate maximis deliciis nutriuntur, postea vero erunt in angustiis et in *exitu* et in laboribus et in ægritudinibus, et cum magna difficultate et cum magnis angustiis et in magnis laboribus cottidianæ vitæ habebunt alimenta.»

Corruptum est *exitu*. (Cf. l. V. c. 4. §. 4. (de Iove in Tauro) : «In primis enim temporibus gravi periculorum tempestate quassantur. In ægritudinibus enim et in *servitiis* et in *causis* versabuntur.»

Pro exitu igitur scribendum fortasse : *servitute*. (Cf. etiam l. V. c. 3. §. 50 : «erunt *ægritudines*, erunt *causae*, erunt terrores erunt peregrinationes, erunt tales humilitates, ut ad detrimentum captivitatis et *servitutis* veniant, erunt *angustiae* erunt *labores*.»

XCIII.

L. V. c. 3. §. 43. agitur de Saturno in Sagittario :

«Sed nunquam in horoscopo sic habentes Saturnum uxores virgines sortiuntur, et *ternas* semper sortiuntur uxores et habebunt semper adsiduos dolores ex infortuniis filiorum.»

Corruptum videtur *ternas*. (Cf. l. V. c. 3. §. 8. (de Saturno in Tauro) : «Sed ante XXXII. annos nunquam eos Saturnus ducere patitur uxores, nec *virgines illis uxores dabuntur* . . . *Peregrinas* vero aut *ab aliis stupratas uxores* feliciter sortientur.» L. VI. c. 31. §. 41 «Si Mercurius in medio cælo fuerit constitutus et cum eo sint Venus et Saturnus et Iuppiter constituti, *peregrinas* quidem *uxores* decernunt, sed magna divitiarum affluentia copiosos.»

Pro *ternas* igitur scribendum videtur *externas*, i. e. peregrinas.

XCIV.

L. V. c. 4. §. 7. (de Iove in Geminis) :

«Quicumque Iovem in Geminis habuerint, erunt in maximis gloriis et potestatibus, in amicitiiis *gratia noti* semper ornati, et cum multa quæsierint, hæc eadem rursus amittunt, et vita eorum assidua commutatione variatur.»

Corrupta sunt verba *gratia noti*. (Cf. l. V. c. 4. §. 10 : «Tunc

plurimis hominibus imperabunt, tunc omnium adversariorum superatur improbitas, tum *notitiam* eorum felix sublevat fama.» L. V. c. 4. §. 12: «Cum enim Iovem in Leone postium trigonica Saturnus radiatione respexerit, tunc *potestates tunc glorias tunc notitias* tunc potentium amicorum *præsidia* consequuntur.» L. V. c. 4. §. 17: «Tunc iungit eos aut potentibus viris aut ducibus aut regibus, tunc *notitia* tunc nobilitas decernitur.» L. V. c. 4. §. 22: «Tunc enim gradatim omnia prospera pro locorum potestate decernit, tunc *notitiam tunc gloriam tunc potentiam tunc potestatem.*» L. V. c. 2. §. 19: «faciet claros nobiles et qui populari *notitia* semper *ornentur.*» L. VI. c. 4. §. 6: «facient homines claros *notitia* nobilitatis *ornatos.*»

Scribendum igitur: «in amicitiiis *grati ac notitiis* semper ornati.»

XCIV.

L. V. c. 4. §. 18. (de Iove in Libra):

«Habebunt ex uxore et filiis lætitiā, sed cum primum fuerint infortuniis fatigati, et in omnibus causis pro ipsis sententiæ proferruntur, sed, si sine consortibus litigarint. Tunc enim prosperos habebunt eventus in omnibus, si ab omni *commutationis* fuerint consortio separati.»

Pro corrupto *commutationis* scribendum videtur *coniunctionis*. Cf. l. I. c. 9. §. 7: «Quæcunque igitur gens hominum illi adiacet zonæ, quæ sempiterna adustione ignis incenditur, licet sit sub eius zonæ partibus collocata, quæ ex composita moderatione formata est, ad fingendos tamen colores hominum ignem sibi ex vicinæ *societatis coniunctionibus* mutuatur.» L. IV. c. 1. §. 4: «ut animus et corpus pari necessitatis ratione *coniuncti* et invicem se propriæ naturæ potestatibus ac viribus sustinentes hominem divina ac terrena *coniunctionis societate* compositum integra specie ac forma perfecti operis explicarent.»

XCVI.

Lib. V. c. 6. §. 1. de Luna:

«Si vero fuerit diurna genitura, faciet laboriosos peregrinos,

et quorum vita frequenti periculorum continuatione quassetur, aut valetudines et vitia cum acerbo dolorum cruciatu *emergit.*»

Pro *emergit*, quod hoc loco sensu caret, scribendum censeo *decernit* (sc. Luna), quod verbum sæpissime apud Firmicum tali sensu usurpatur. Ceterum confer, quæ statim æquuntur (de Luna): «Sane in nocturna genitura si in domo sua vel in decano posita IX. ab horoscopo tenuerit locum, felicitatem divitias gloriam principatum cum maxima potestate *decernit.*»¹⁾

XCVII.

L. VI. c. 15. §. 18. de Saturno et Mercurio diametris :

«Sed inefficaci artis suæ studio semper invigilant et vultum eorum tristitia severitatis semper exasperat et erecto superbæ spiritu sublevantur. Sed hi ipsi varia sollicitudinum per dies singulos *audias generant*, et fratribus suis ætatis gradu præferuntur.»

Pro corruptis verbis *audias generant* scribendum videtur : *a deunt genera*, ut hoc loco *sollicitudines adire* eodem sensu ponatur, quo apud Ciceronem passim : periculum adire, periculum capitis adire, inimicitias adire, aut apud Cornelium Nepotem : labores et pericula adire. Contrario sensu legimus apud Tibullum : l. I. eleg. 5. vss. 39-40 :

Sæpe aliam tenui : sed iam cum *gaudia adirem*,

Admonuit dominæ deseruitque Venus. Cf. Firm. Matern. l. III. c. 4. §. 6 : «*Adeunt* autem simili modo *pericula.*»

XCVIII.

Lib. VI. c. 22. §. 5 :

«Si Saturnus et Mars unum hospitium partis acceperint, et in eodem loco pariter constituti æquabili societatis potestate iungantur, si in opportunis genituræ locis fuerit ista coniunctio, mores hominum æquabili gravitatis moderatione componit et omnes animi impetus mansuetis temperationibus mitigat. Martis enim inconsulta temeritas et *ardoris* improbitas et inflammati calor *ardor* impatiens coniuncto sibi Saturni frigore temperatur.»

¹⁾ Cf. *Quæst. de Firm. Mat. astr.* ann. 1889. p. 10.

Pro *ardor* propter præcedens *ardoris* tautologiæ evitandæ causa scribendum censeo *fevror*; cf. lil. VIII. c. 11. §. 4: «Si vero in occasu hoc sidus fuerit inventum, aut nimio *fevore aestuum* aut angustiis præsidiorum aut incursione turbabuntur.»

XCIX.

L. VI. c. 26. §. 1. (de coniunctione Veneris et Mercurii :

«Docti etiam sermonis simul positi ornamenta decernunt, ut docta institutione sermo formatus audientium aures grata *tolleratore* semper illiciat, aut musici carminis modos tradunt et præclaram pœticæ disciplinam.»

Pro corrupto *tolleratore* scribendum fortasse *titillatione*. (Cf. Cic. De fin. I. I. c. 11. §. 39: «Nam si ea sola voluptas esset, quæ quasi *titillaret* sensus, ut ita dicam, et ad eos cum suavitate afflueret et illaberetur, nec manus esse contenta posset nec ulla pars vacuitate doloris sine iucundo motu voluptatis»); (Cic. De off. II. 18. «Multitudinis levitatem voluptate quasi *titillantes*»); (Cic. De nat. deor. I. 40: «voluptates, quibus quasi *titillatio* (Epicuri enim hoc verbum) sensibus adhibetur.»

C.

L. VI. c. 29. §. 14 :

«Si Luna in aliquo cardine constituta Mars in diametro positus . . . vel in eadem parte fuerit iuventus vel *IRI penalis* cardine æquata partis radiatione respiciat, Iuppiter vero in VI. ab *IRI poloso* vel in XII. cum Luna fuerit inventus, tam diu vivit, qui natus fuerit, quam Luna cum Iove fuerit inventa.»

Ex ratione astrologiæ facilis atque certa est emendatio ; scribendum enim : «vel *horoscopum ex alio* cardine æquata partis radiatione respiciat, Iuppiter vero in sexto ab *horoscopo loco*¹⁾ vel in duodecimo cum Luna fuerit inventus.» Scilicet *horos-*

¹⁾ Has emendationes sibi vindicat in a paratu critico editionis recentissimæ Ziegler, Krollii et Skutschii in Firmico edendo socius. Sed ego has coniecturas publici iuris feci iam anno 1889. (!) p. 15. commentationis meæ: *Questiones de Firmico Materno astrologo*, nisi quod in prima corruptela sananda scripsi : *in alio*, pro quo Ziegler recte scripsit : *ex alio*.

copus in libris manuscriptis compendiose (IRIPVS) scribitur, ex quo diversissimæ oriuntur corruptelæ.

CI.

Lib. VI. c. 29. §. 19 :

«Si vero uxor et maritus in genituris suis in eodem signo Lunam habuerint collocatam, vel si Lunam viri Iuppiter mulieris prospera radiatione respiciat, aut rursus mulieris Lunam viri Iuppiter simili radiatione respexerit, vel si utriusque genituræ Luna *a* trigonica radiatione iungatur, amor ipsos pari caritatis vinculo copulatus æquabili semper desiderio cupiditatis sustentat.»

Corruptum est *a* ante *trigonica*. Hoc scilicet loco admonendi sumus in libris manuscriptis sæpe non nomina, sed notas stellarum scribi ita, ut etiam casibus obliquis pro love nota astrologica ꝑ ponatur, quæ neglegenter et minute scripta facile cum *a* littera confunditur. Prona est igitur coniectura : «si utriusque genituræ Luna *Iovi* trigonica radiatione iungatur.» (Cf. l. III. c. 1. §. 6 : «in masculino signo (Mars) collocatus *Soli* trigonica se radiatione coniungit» ; l. III. c. 2. §. 19 : «si tamen (Saturnus) se trigonica *Iovi* radiatione coniunxerit.»¹⁾

CII.

L. VI. c. 29. §. 21. (de Venere in terreno signo inventa) :

«Sed si sic posita Venus in matutino ortu fuerit inventa, *in prima aetate* constitutis infortunia viduitatis indicit. Si vero in vespertino ortu fuerit inventa, . . . ætate viduitatis decernuntur incommoda.»

Lacuna sic explenda videtur : *provecta aetate*, quod opponitur præcedenti : *in prima aetate*. Eadem antithesis l. IV. c. 12. §. 7 : «sed hos in *prima iuventute* decipit et cum fuerint eorum *provectae tempore aetates*,²⁾ glorias commendationes . . . et idoneas decernit substantiæ facultates» ; l. III. c. 3. §. 19 : «quicquid ei *in prima aetate* dignitatis vel honorum vel divitiarum colla-

¹⁾ Cf. *Quæst. de Firm. Mat. astr.* Buda pestini ann. 1889. p. 16.

²⁾ De hac coniectura cf. commentationis huius ca. LXIX.

tum fuerit, totum *in vita posteriore* minuitur ac dissipatur,» l. VIII. c. 26. §. 10: «cui augmenta felicitatis *propectu aetate decernantur.*»

CIII.

L. VI. c. 29. §. 23 :

«Si nuptialis signi dominus in feminino signo constitutus occasum vel medium cælum possederit, virgines latenter *stupra . . . cupiditate* compellit. Sed struprorum genera pro stellarum varietatibus invenimus. Nam si Saturnus nuptialis signi dominus fuerit inventus, aut a patre aut a patruo aut a vitrico stuprum virgini præparatur, aut a sene aut a servo.»

Lacuna ita explenda esse videtur : «virgines latenter *stupra sectari prava cupiditate* compellit.» Cf. l. VI. c. 26. §. 3 : «Tunc enim puerorum mulierumque concubitus æquabili cupiditate desiderant et ultra modum *stupra* cum maxima animi delectatione *sectantur.*» l. IV. c. 6. §. 4 : «Si vero in mulieris genitura sic Luna feratur ad Venerem, erit invidio stridore semper impatiens et quæ ad promiscuas libidines *pravis cupiditatibus* erigatur. Aut enim cum fratribus aut cum filiis coit aut cum filiis fratrum aut *patruis* suis.» l. V. c. 5. §. 6 : «Erunt sane in venereo coitu libidinosi et qui aliena matrimonia *prava mentis cupiditate* corrumpant.» l. VI. c. 24. §. 6 : «Quodsi hos omnes Venus aliqua radiatione respexerit, ad puerorum amores *prava cupiditate* mentis impingit.» l. VI. c. 25. §. 6 : «id totum etiam uxori ad simile studium voluptatis mariti errantis peccata commendent, ut et ipsa faciat, quicquid maritum facere *prava cupiditate* cognovit, ut adulter maritus suis magisteriis imbutam adulteram faciat uxorem.» l. VI. c. 30. §. 16 : «Si vero fuerit mulieris ista genitura, meretricem prostituti pudoris efficiet, et quæ corpus suum *pravis libidinum cupiditatibus* tradat.»

CIV.

Lib. VI. c. 30. §. 16 :

«Si vero sine testimonio Iovis Venus fuerit cum his inventa, omne vitium impudicæ impuritatis indicitur. Tunc viri spontanea furoris *ad horam* muliebria patiuntur, tunc impuro *honore* ardorem vitiosæ libidinis exsequuntur.»

Pro *ad horam* scribendum cum editionibus veteribus: *adhortatione*; pro *honore* autem scribendum censeo: *ore*; cf. de admodum simili stellarum coniunctione l. VII. c. 25. §. 3: «Si Mercurius et Venus pariter in XIX. parte Arietis sint positi, *impuros ore* perficiunt.» Eadem autem, quæ hoc loco, vitia una commemorantur l. VIII. c. 4. §. 10: «In istis partibus, quæ sunt in ore Capricorni, si quis habuerit Lunam, licet sit illa benivoliarum testimoniis adornata, *impuros ore* viros faciet *muliebrium libidinum* labe pollutos.»¹⁾

CV.

L. VI. c. 30. §. 22:

«... talis erit orator, ut in modum fulminum dictorum eius sententiæ proferantur, ut pro arbitrio eius multitudinis animi aut quiescentes excitentur aut incensi facile mitigentur. Talia etiam erunt eius dicta, ut hæc ad augmentum et ad nutrimentum ingenii sui posteritas contentiosa animositate perdiscat. Talis orator *apud* Macedonem Philippum non armorum vi, sed orationis licentia persequebatur, et ut manifestius explicemus: hæc genitura divinum Demostheni inspiravit ingenium.»

Lacunam post *apud* statuendam esse facile apparet. Explenda ea videtur hunc in modum: «*apud Athenienses.*»

CVI.

L. VI. c. 31. §. 10:

«Venus cum Saturno in horoscopo constituta, in quocunque signo in quibuscunque partibus posita *genitura*, licentia potestatis aut meretrices publicas aut provectæ ætatis decernit uxores, præsertim si nulla illos Iuppiter radiatione respiciat.

Pro *genitura* scribendum *geniturae* (genitivus!); intellege: «Venus... in quibuscunque partibus *geniturae* posita.» Habet enim genitura sive horoscopus quattuor *cardines* sive *partes*; cf. l. II. c. 15. §. 1: «In *genituris cardines* sunt quattuor, ortus, occasus, medium cælum, inum cælum, quæ loca a Græcis solent appellari his nominibus: anatole, dysis, mesuranima, hypogeon.

¹⁾ Cf. *Quæst. de Firm. Mat. astr.* Buda pestini ann. 1889. p. 11.

Ortus est *pars horoscopi* . . . » etc. L. II. c. 21 : «qui duas stellas in domiciliis suis *in opportunis geniturae locis* habuerit constitutas.»

CVII.

L. VI. c. 31. §. 20 :

«Si Luna in medio cælo fuerit inventa et cum ea Mars et Saturnus constituti æquata partium societate iungantur, aut sequestres aut ministros turpium libidinum facient, ut . . . *quaestum* vitæ illis præsidia comparentur.»

Post *ut* lacunam statuendam, *quaestum* autem corruptum esse puto. Scribendum videtur : *miserò quaestu*. Cf. l. VI. c. 31. §. 79 : «Si in medio cælo Mars et Saturnus et Venus æquata sint partium societate coniuncti et his quartus Mercurius testis accedat, meretrices efficient, quæ detrimento mundinatio pudoris et prostituti corporis gratia *miserum quaestum* per dies singulos quærant.»

CVIII.

L. VI. c. 31. §. 38 :

«Si Venus in Capricorno constituta fuerit et diametra Saturnum radiatione percutiat, facit tales, quos uxores suæ omnibus generibus exseerentur, et corpora eorum hircini odoris tristem illuviem desudatis gravibus humoribus evaporant. Erunt etiam hi ipsi *execrati* coitu et ex veneriis libidinibus semper infames, et tales qui promiscuæ libidinis vitiosos concubitus projecta mentis cupiditate desiderent.»

Pro *execrati* scribendum videtur *nefario*. Cf. l. IV. c. 6. §. 3 : «Sed semper Luna in omni orbis sui figuratione si feratur ad Venerem, faciet præposteris *amorum vitiiis* implicatos et qui ob hoc adsiduis pulsantur *infamiis*, impuros *libidinosos* et circa amores mulierum *immodica* semper *cupiditate* flagrantes et quos *ad nefarios coitus* incesta cupiditas semper incendat.»

CIX.

L. VI. c. 31. §. 49 :

«Si Mars et Luna pariter inventi in horoscopo sint constituti,

et his sic positus Mercurius mediæ cæli possederit partem, et Saturnus in occasu positus illos diametra, Mercurium vero quadrata ratione respiciat, filios in tenera constitutos ætate et adhuc in sinu nutricum vagientes *satis* immaturis facient casibus interire.»

Corruptum est *satis*. (Cf. l. I. c. 8. §. 6: «ille iam pubescentis ætatis et iam ad omnes vitæ actus . . . integra magisterii institutione compositus *mortis repentino casu* subtrahitur.» l. III. c. 5. §. 7: «valetudines et vitia decernuntur et *casus mortium*.» l. VI. c. 31. §. 50: «Si Mercurius in imo cælo fuerit constitutus et ei Mars Saturnus et Venus æquata partium societate iungantur, *faciunt* sic positi filios ante conspectum patrum *miseris et acerbis mortium necessitatibus* interire.» l. VI. c. 31. §. 52: «masculos filios *miseris mortium faciunt necessitatibus* interire.»

Pro *satis* igitur scribendum: *mortis*.

CX.

l. VI. c. 31. §. 54:

«Si Venus fuerit in horoscopo partiliter constituta et Saturnus in imo cælo positus Veneri quadrata radiatione iungatur, faciunt homines templorum obsequiis deputatos, qui latenti divinitatis instinctu mutato mentis ordine et *instantis* religionis potestate possessi, instantibus hominibus futura prædicant, ut illis ex ista conversatione quotidianæ vitæ augmenta quærantur.»

Corruptum est *instantis*; scribendum: *instigantis*. (Cf. l. VI. c. 25. §. 3: «Sed hi futurorum ordinem *divina mentis instigatione* perdiscunt. Erunt sane religiosi iusti cultores deorum, frequenter antistites.»

CXI.

l. VI. c. 31. §. 56:

«Si Mars fuerit in horoscopo constitutus, et Luna aut ad Martem feratur aut ab eo defluat, vitæ humilitatem gravia valitudinis vitia et acerba periculorum discrimina et miseræ calamitatis incursus ex ista coniunctionis societate *iunguntur*. Sed et si in occasu Mars fuerit inventus et ab eo defluat Luna, hæc eadem simili ratione perferunt.»

Corruptum est *iunguntur*. (Cf. l. VI. c. 15. §. 12: «Si Saturnus

et Mars diametra se radiatione respexerint . . . aliis *acerbae valitudinis discrimen infligunt.*» L. VI. c. 31. §. 6: «In solidis vero signis constituti (sc. Luna et Mars et Mercurius) famosos domorum effractores efficient, sed qui armati gladio quiescentibus hominibus et patrimonii iacturam et *vitae discrimen infligant.*»

Pro *iunguntur* igitur scribendum: *infligunt.*

CXII.

L. VI. c. 31. §. 72:

«Si in quinto ab horoscopo loco Mars et Mercurius fuerint collocati, et hos Saturnus superior effectus quadrata ratione respiciat, aut si cum ipsis positus æquata sit partium societate coniunctus, falsarios facient aut qui pecunias publicas flaturarum adulteris artificiiis imitentur. Si vero his sic positis aliquo consensu adnuat Luna, *in posteris* latrones homicidasque perficient.»

(Corruptum est *in posteris*. Cf. l. III. c. 3. §. 15: «In octavo loco Iuppiter ab horoscopo constitutus . . . facit etiam ignobiles et stultam iactantes animositatem, *praeposteros* et quorum furor ad insaniam procedat.» L. V. c. 2: «Mars . . . faciet malos malitiosos malignos . . . crudeles temerarios et qui nullis humanitatis rationibus mitigentur, clamorosos impudentes, furore *praeposteros* . . . carnifices et qui omne facinus nefario mentis ardore concipiant.»

Pro *in posteris* igitur scribendum videtur: *praeposteros*.

CXIII.

L. VI. c. 32. §. 13. (de loco patris in signo Martis):

«Si vero fuerit nocturna genitura et Iuppiter aut Venus locum patris aut matris prospera radiatione respiciant, hæc quæ diximus ex parte aliqua mitigantur, et facit patrem erectum militarem severum, quem semper arma ferrumque delectent, et pro mensura genituræ . . . aut ducem reddit.»

Lacuna statuenda est post *geniturae*. (Cf. l. III. c. 11. §. 18: «In Martis vero signis aut in partibus constituti *pugnaces, amatores armorum, milites* venatores . . . reddunt.» L. IV. c. 4. §. 3: (de Luna ad Martem): «Largitur autem artes, quæ aut ignem tractent semper

aut *ferrum, alios milites facit.*» L. I. c. 7. §. 35: «*Paullus imperator militi* (sc. gregario!) *Mario* promittebat imperia.»

Duci pro mensura genituræ optime opponitur *miles*, sc. gregarius. Lacuna igitur sic explenda esse videtur: *aut milite m.* Eadem antithesis apud Tibull. I. 1, vs. 75: «*Hic ego dux milesque bonus.*»

CXIV.

L. VI. c. 38. §. 6:

«*Si Mercurius temporum dominus fuerit effectus, ex decennio suo Veneri VIII deputat menses. Cum itaque Venus deputatum sibi a Mercurio tempus acceperit, bona commoda ex assidua felicitate decernit, securitatem vel tota quiete commoda, lucra pro mensura genituræ.*»

Corruptum est *tota quiete*; scribendum fortasse: *tuta quietis*. Cf. l. VI. c. 38. §. 3: «*Si Mercurius temporum dominus fuerit effectus, ex decennio suo Iovi XII deputat menses. Cum itaque Iuppiter deputatum sibi a Mercurio tempus acceperit, tempus quidem quietum et ab omni negotiorum strepitu separatum decernit, sed in hoc ipsa quiete maxima laudis commoda.*»

CXV.

L. VI. c. 40. §. 3:

«*Nunc qui primis cærimoniis initiati ad ipsum secretorum limen accessimus, intento animo reliqua debemus audire, ne in fastidio auribus constitutis et ista respuentibus dicta errantium tractatum pereuntes sententias ingeramus.*»

Sensus est: ne fastidiosis auribus, quæ ista dicta respuunt, ingeramus sententias tractatum horum. Quod ad verbum ingerendi adinet, simile quoddam legimus l. VII. præf. §. 1: «*Patiuntur enim hæc omnia iacturam, cum perditis ac desperatis animis ingeruntur.*» Sed corruptum est *errantium*, pro quo scribendum censeo *venerandorum* ex l. VII. præf. §. 3: «*ne hæc veneranda commenta profanis vel imperitis auribus intimentur, sed his, quos animus incorruptus ad rectum vivendi ordinem casto ac pudico præsidio mentis ornavit.*» L. VII. præf. §. 1: «*nec secretarum disputationum veneranda commenta imperitis aliquando auribus*

intimari.» L. VIII. c. 33. §. 3: «ne veterum *veneranda commenta* sacrilegis quodammodo editionibus polluamus.» L. IV. c. 3. §. 1: «Si Luna se Iovis adplicaverit stellæ et crescens lumine ista se societate coniunxerit vel ad Iovem feratur, faciet felices gloriosos . . . sed hic habentes Lunam etiam *futura prædicunt* aut propria animi divinitate aut deorum monitu aut ex oraculis aut *artis cuiusdam venerabili disciplina.*» L. IV. c. 22. §. 1: «Explicaturo mihi nunc doctrinæ istius *veneranda secreta*, quæ divini veteres cum maxima trepidatione dixerunt et quæ involuta obscuritatis ambagibus reliquerunt, ob hoc, ne publicata divina scientia ad profanorum hominum notitiam perveniret, *intento . . . animo* et quieto nec aliis rationibus occupato, ut, quicquid dixerim in hoc *tractatu*, facillimis rationibus intimetur.» L. I. c. 5. §. 1: «securi ad ipsius *scientiæ venerabilia secreta* veniamus.» L. II. c. 30. §. 14: «Sed nec occupato animo et perdita cupiditate polluto inhærere aliquando poterit istius *venerandæ scientiæ disciplina.*»

Corruptum videtur etiam *pereuntes*; nam scriptor non *pereuntes*, sed *perituras sententias* Latine dicere debebat. Pro *pereuntes* scribendum fortasse *perennes*, i. e. æternas sententias, in æternum mansuras et valituras. (Cf. Tibull. IV. 1. vs. 34: «*Æterno* sed erunt tibi magna volumina *versu*» Lucret. I. vs. 121: «Ennius *æternis* exponit *versibus*» Ovid. Amor I. 3. vs. 16: «Tu mihi, si qua fides, *cura perennis* eris» Firm. Matern. Math. I. I. c. 6. §. 2: «Colamus igitur deos, quorum se nobis origo stellarum *perenni* agitatione coniunxit » I. V. præf. §. 6: «Vosque *perennium* siderum cursus»

CXVI.

Lib. VII. præf. §. 2:

«Unde et ego horum virorum legem secutus convenio te iureiurando, Mavorti, decus nostrum, per fabricatorem mundi deum, qui omnia necessitate perpetuitatis excoluit, qui Solem formavit et Lunam . . . qui . . . ortum occasumque *terraemotum* omnium per descensum ascensumque animæ, per immortalitatem æternæ perpetuitatis ordinavit: ne hæc *veneranda commenta* profanis vel imperitis auribus intimentur.»

Corruptelam *terraemotum* sic censeo esse emendandam: «*corporum terrenorum* omnium», ut lacuna ante corruptelam

statuatur; ortus corporum autem est e Platonis sententia, quam etiam Firmicus amplectitur, animi cælestis in corpus descensus; contra occidit mortale corpus, cum animus ad sedes cælestes rursus ascendit. Ceterum confer, quæ ipse Firmicus de hac re dicit l. I. c. 4. §: «Vere enim sunt res arduæ atque difficiles et quas non facile possit animus terrenis sordium laqueis impeditus, licet ipse ignea sit divinitatis immortalitate formatus, facili inquisitionis ratione percipere. Divinitas enim eius, quæ sempiterna agitatione sustentatur, si *in terreno corpore fuerit inclusa, iacturam quandam divinitatis suæ patitur temporalem* . . . Cui se tota natura divinitatis et ostendit et prodidit nisi animo, qui ex cælesti igne profectus ad regimen et ad gubernationem terrenæ fragilitatis immisus est? . . . brevi maiestatis suæ *recordatione* hæc omnia, ut traderet, *non didicit, sed agnovit.*» (cf. etiam l. I. c. 5. §. 9: «Quis dubitat, quod per has stellas *terrenis corporibus* divinus ille *animus* necessitate cuiusdam legis infunditur, cui *descensus* per orbem Solis tribuitur, per orbem vero Lunæ præparatur *ascensus?*») l. I. c. 5. §. 12: «Hac ratione immortalis animus in nobis caducam terreni *corporis* fragilitatem confidentia suæ maiestatis exornat, ut et ipse auctori suo atque *origini* ex aliqua parte respondeat, qui diffusus *per cunctas animantes*, quæ *terrena* conceptione gignuntur, facit, ut divino animatæ fomento perpetua generationis propagatione vivescant.» l. I. c. 10. §. 5: «Hac sunt duæ zonæ, quæ omne animantium genus in terræ finibus ex illa tranquilla commixtionis moderatione progenerant, per quas ad *omnium*, quæ gignuntur, *ortus et occasus*, per omne ævum obliquum signorum ordo convertitur.»

CXVII.

l. VII. c. 19. §. 2:

«Sed et si Luna aut in masculino signo fuerit inventa aut certe in Leone vel in Virgine vel in Capricorno, et Sol in masculino signo sit aut in his, in quibus diximus, signis, Saturnus vero aut in cardinibus sit positus aut in XII. ab horoscopo loco, nec *virgini* nec *mulieri* decernuntur.»

Agitur de mulieribus sterilibus. Scriptor supra exposuit, quarum stellarum potestate filii mulieribus denegarentur; cf. l. VII. c. 19. §. 1: «Si Sol et Luna in masculinis signis in horoscopo sint, Saturnus

vero aut in occasu sit aut in imo cælo, mulieres *filios* non procreabunt.» Sequitur, ut hoc loco causa explicetur absolutæ sterilitatis.

Scribendum igitur: «*nec virgines nec pueri decernuntur*», scilicet mulieribus.¹⁾

CXVIII.

L. VII. c. 21. §. 4: «Aliis enim *stomacalis, epylenticialis*, aliis *insanias*, aliis *lepras*, aliis *impetiginem*, aliis *hydropem*, aliis *phtisin*, aliis *elephantiam* decernit ista coniunctio.»

Hæc particula *De vitis corporis et valetudinibus* inscribitur. Pro *stomacalis* scribendum videtur tale quid: *morbos stomachi, aliis*; pro *epylenticialis* autem procul dubio: *epilepsias*.²⁾ Quod ad seriem et pluralem numerum morborum attinet, cf. l. VII. c. 23. §. 19: «Sed et si Luna cum Marte fuerit inventa in horoscopo et Saturnus cum Sole in medio cælo fuerit constitutus, spasmos aut *epilepsias* aut *insanias* faciunt.»

CXIX.

L. VIII. c. 6. §. 11:

«Si Auriga in occasu genituræ fuerit inventus et eum malivolarum stellarum radius impugnet, deiecti quadrigis miseris lacerationibus dissipantur, ut fracto corpore acerba mortis patiantur incommoda, aut fulmine icti repentino mortis opprimuntur *occasu*, aut tolluntur in crucem aut crura illis publica animadversione franguntur.»

(Corruptum est *occasu*; scribendum: *casu*. Cf. l. I. c. 8. §. 6: «ille iam pubescentis ætatis et iam ad omnes vitæ actus . . . integra magisterii institutione compositus *mortis repentino casu* subtrahitur.» L. III. c. 5. §. 7: «*valitudines et vitia decernuntur et casus mortium*.»

¹⁾ Cf. *Quæst. de Firm. Mat. astr.* Budapestini ann. 1889. p. 17.

²⁾ Hanc coniecturam sibi tribuit *Ziegler* in apparatu critico editionis recentissimæ, sed ego locum iam anno 1889. emendavi p. 17. commentationis meæ: *Quæstiones de Firmico Materno astrologo*.

CXX.

L. VIII. c. 10. §. 7 :

«Si vero hoc sidus (sc. *Crater*) in occasu fuerit inventum, sine malivolæ (sc. stellæ) testimonio, is qui natus fuerit inter epulas et pocula in media ætate morietur. Si vero malivolarum stellarum radius accesserit, aut in dolium vinarium aut in puteum submersus morietur, aut in flumine vel lacu vel palude vel mari vel certe in piscina vel in *solio* invenietur mortuus.»

Corruptum est *solio*. (Cf. l. III. c. 4. §. 23 : «In aquosis vero signis constitutus (sc. Mars) cum Luna hac ratione, qua diximus, aut in *stagnis* aut in mari submergi facit.»

Aquæ primo loco commemoratæ (*flumen, lacus, palus, mare*) sunt aquæ naturales, *piscina* autem est lacus arte factus. Scribamus ergo pro *solio* confidenter *stagnis*; nam *stagna* appellabantur lacus arte facti in hortis nobilium et divitum. (Cf. Horat. Carm. II. 15, vss. 2—4 : «undique latius Extenta visentur Lucrino *Stagna* lacu.»

CXXI.

L. VIII. c. 11. §. 5. de sidere Spicæ :

«Quodsi Mars hunc radiaverit locum, ob interceptam annonam vel male dispositam vel fraudulenta cupiditate subtractam, gravi pulsatum invidia insanientis populi rabies dissipabit et popularibus manibus *laceratum artibus* metuenda acerbæ mortis exempla *demonstrant*.»

Pro *laceratum artibus* Ziegler rectissime coniecit : *lacerati artus*. Sed præterea pro *et* auctore codice Neapolitano, qui pro *et* habet *et ut*, scribendum censeo *ut*, pro *demonstrant* autem *demonstrent*, ut concinnitas orationis postulat. Eadem sententiarum structura supra §. 4 : «Si vero Saturnus hunc locum minaci radiatione respexerit, *faciet* eum, qui natus fuerit, misero paupertatis onere prægravari, *ut sit* per omne vitæ spatium pannis male pendentibus nudus, et eum usque ad extremum diem vitæ *perducat*¹⁾ præsidio publicæ miserationis alimenta poscentem, *ut* cum cruciatu animi pariter et corporis debitum vitæ compleat munus.»

¹⁾ Ita scribendum, non *perducit*, propter præcedens *faciet*.

CXXII.

L. VIII. c. 12. §. 1 :

«In signo Libræ in parte VIII. oritur Sagitta. In hoc signo qui natus fuerit, erit iaculator sagittarum, qui volantes aves speciali artificii moderatione percutiat aut pisces tridente *vel* cuspide inter ipsa undarum spatia figat *intrepidus*.»

Firmicus hoc loco, ut sæpissime, imitatur Manilium¹⁾ (Astronom. V. vss. 294—298) :

Sed parte octava surgentem cerne sagittam
 Chelarum ; dabit et iaculum torquere lacertis
 Et calamum nervis, glebas et mittere virgis
 Pendentemque suo volucrum deprendere cælo,
 Cuspide vel triplici *securum* figure *piscem*.

Apud Firmicum delendum est ineptum illud *vel* ; nam *cuspidi triplici* Manilii respondet Firmici *tridens cuspis*, ubi *tridens* adiectivi vice fungitur, ut apud Arnob. Adv. gent. III. 31 : «tridenti armatus ferro.» Pro *intrepidus* autem scribendum *intrepidus* (sc. pisces), quod respondet *securus pisci* apud Manilium. *Intrepidus* pro *securus*, ut Tacit. Agr. c. 22 : «intrepida ibi hiems.»

CXXIII.

L. VIII. c. 15. §. 1 :

«In primis partibus Capricorni oritur *Ophiuchus*. Hoc sidere oriente qui nati fuerint, erunt Marsi, qui pestiferos angues sopitis ac *mitigatis* aculeis *mitigent*.»

Inepte ponitur *mitigent* post præcedens *mitigatis*. Cf. de eadem re l. VIII. c. 28. §. 6 : «Sed erunt Marsi venena vendentes, qui serpentes *sopitis* venenorum *aculeis* *nutrient*.»

Pro *mitigent* igitur scribendum *nutrient* probabili coniectura, nam in scriptura minuscula pro *nutrient* facile legi potest *mitrient*, quam corruptelam a librariis in *mitigent* mutatam esse verisimile est.

¹⁾ De Firmico Materno Manilii sectatore cf. commentationis meæ : *Quæstiones de Firm. Mat. astrologo* p. 17. sqq.

CXXIV.

L. VIII. c. 16. §. 1 :

«In Aquarii parte XII. oritur *Aquila*. Quicumque in ortu huius sideris nati fuerint, ex cæde hominum et ex spoliis habebunt vitæ subsidia . . . Erunt præterea fortes militares, quorum virtute atque præsidio bellorum metuendi impetus sopiantur. Erunt sane tanta virtute, ut nudo *praediti* pectore hostes sequantur, ut ad laudem suam *prosperere* credant, si mortem secunda animositate contempserint.»

Corrupta sunt *praediti* et *prosperere*. Pro *praediti* scribendum fortasse *in proeliis*; pro *prosperere* in editione Aldina legitur : *proficere*, recte, ut mihi quidem videtur. Cf. l. I. c. 11. §. 6 : «Si a Marte defluens Luna plena vel crescens ad Saturnum feratur, facit tardos pigros et qui *ad nullos actus* possint *proficere*.»

CXXV.

L. VIII. c. 17. §. 3 :

«In Piscium parte XXI. oritur Equus. Quicumque hoc sidere oriente nati fuerint, erunt . . . aurigæ agitatores equites veredarii . . . Si vero cum malivolis stellis in occasu fuerit hoc sidus, aut calcis ictu aut *deiectus curabitur* aut versato vehiculo faciet interire et misera corporis laceratione quassatos.»

Eiciendum esse videtur *curabitur*, pro *deiectus* autem scribendum : *equo deiectos*. Cf. l. VIII. c. 13. §. 4 : «In Scorpium parte XII. oritur Centaurus. Hoc oriente quicumque natus fuerit, aut auriga erit aut equorum nutritor et cultor . . . Si vero hoc sidus in occasu fuerit et hunc locum malivolæ respexerint stellæ, aut ex alto proiectus aut quadrupedis animalis impetu aut *equi calce aut deiectus equo* morietur aut *verso curru* equis trahentibus *misera morte lacerabitur*.»

CXXVI.

L. VIII. c. 21. §. 13 :

«Quodsi in ultima linea Geminorum fuerit horoscopus et in eodem loco Mars fuerit inventus, a *bestia* vel a *vipera* percussus pedem vel femur perdent.»

Corruptum videtur a *bestia*, quia *bestia* inepte opponitur *viperæ*. Cf. l. VIII. c. 28. §. 3: «In parte octava Scorpii quicumque habuerint horoscopum, erunt opifices. Sed hi aut ab *aspide* aut a *vipera percussi* morientur.»

Pro a *bestia* igitur scribendum ab *aspide*. Aspis, anguis venenatus, commemoratur etiam l. IV. 14, §. 14: «Marsi tales, qui *aspides* venari consueverunt.» Marsorum enim ars erat angues venenatos capere atque mitigare; cf. l. VIII. c. 15. §. 1: «Hoc sidere (sc. Ophiucho) oriente qui nati fuerint, erunt Marsi, qui pestiferos angues sopitis ac mitigatis aculeis *nutrient*.»¹⁾

CXXVII.

l. VIII. c. 24. §. 2:

«In parte VII. Virginis quicumque habuerit horoscopum, Luna crescente, vel in horoscopo constituta, erunt sacerdotes, haruspices divini religiosi potentes, adversarios cum summa auctoritate semper opprimentes. Quodsi Iuppiter et Mars hunc eundem locum radiaverint, erunt duces, sed qui contra barbaros exercitum ducentes *perdant*.»

Pro *perdant* scribendum *pereunt*. Cf. l. VIII. c. 28. §. 1: «In III. parte Capricorni quicumque habuerint horoscopum . . . erunt crudeles ingeniosi semper audaces et qui multos interficiant. Erunt *magni exercitus duces*, sed in pugna *morientur*.» l. VIII. c. 31. §. 7: «In Sagittarii XXII. parte sunt limpidae stellæ. In ipsis stellis quicumque habuerit horoscopum . . . erit victor in omnibus proeliis, *subiugabit barbaros* . . . habebit filios superstites, sed in pugna *morietur*.» Ibidem §. 8: «In III. parte Capricorni est stella clara. Si in ipso signo Mars fuerit inventus . . . quicumque natus fuerit . . . erit crudelis et qui multis gaudeat cædibus, *exercitum ducet*, et erit ingeniosus magnus audax, et *in bello morietur*.»

CXXVIII.

Lib. VIII. c. 30. §. 1: «In I. parte Piscium quicumque habuerit horoscopum, erit curiosus compositus, e regis facultatibus habens

¹⁾ De hac coniectura cf. commentationis huius cap. CXXIII.

vitæ subsidia. Sed hic ex *conscriptio*ne sororum vel ex affinium suscipiet filios.»

Pro *conscriptio*ne procul dubio scribendum: *constupratione*.¹⁾ Cf. l. IV. c. 6. §. 3: «Sed semper Luna in omni orbis sui figuratioe si feratur ad Venerem, faciet . . . impuros libidinosos . . . et quos ad nefarios coitus incesta cupiditas semper incendat; aut enim *sorores suas* semper *stuprant* aut sororum filias aut uxores filiorum aut uxores privignorum.»

CXXIX.

L. VIII. c. 30. §. 7:

«In XIX. parte Piscium quicumque habuerit horoscopum, erit orator advocatus affluentia docti sermonis ornatus. Quodsi benivola stella testimonium commodarit, erit in domo regia, multa *imperans* verecundia gravitateque morum, honesta conversatione semper ornatus.»

Pro *imperans* scribendum *impetrans*. Cf. l. VIII. c. 28. §. 10: «In XXI. parte Capricorni quicumque habuerit horoscopum, erit nobilis, amicus regum, et cui *multa* ex largitione imperatoria *conferantur*, amabilis populo.» L. VIII. c. 31. §. 10: «In X. parte Piscium est clara stella . . . Si itaque Venus cum horoscopo in ipsa stella fuerit inventa et Luna bene sit collocata, quicumque natus fuerit, erit magnus potens *regi notus* . . . Erit victor in proeliis, ab omnibus amabitur . . . præstans *multa*, potiora *impetrans*.»

CXXX.

L. VIII. c. 31. §. 6:

«In XIX. parte Scorpionis est itidem limpida stella. Si itaque Luna bene collocata fuerit, si in ista fuerit horoscopus parte, erit potens. Quodsi Iuppiter fuerit prospera radiatione coniunctus, erit regi proximus, divinos honores possidens . . . *præstans*, bonus sed negligens. Huic mors ex regis indignatione proveniet.»

¹⁾ Hanc emendationem sibi vindicat Skutsch in apparatu critico editionis suæ, sed sine iure. Mea enim est coniectura, quam publici iuris feci iam anno 1889 (1) p. 14. commentationis meæ: *Questiones de Firmico Materno astrologo*.

Lacuna ante praestans statuenda et sic explenda est : *multa praestans*. (f. l. VIII. c. 31. §. 10 : «erit magnus, potens, regi notus . . . praestans multa, potiora impetrans. Ira regis vel odio morietur.» L. V. c. 3. §. 34 : «Erunt felices . . . aliena patrominia possidebunt, multa praestabunt.» L. VIII. c. 25. §. 9 : «Hinc etiam satis felices nascentur eunuchi, et quibus regni tuitio credatur. Multis multa praestabunt . . . sed postea offenso principe mala morte morientur.» L. VIII. c. 21. §. 2 : «In parte II. Geminorum quicumque habuerit horoscopum . . . erit dux . . . erit sane iustus religiosus, plurimis multa praestans.»)

S.: Szombatos codexek. 60 f. — III. Szász B.: A reflexiv és valláserkölesi elem a költészetben s Longfellow. 60 f. — IV. Kúnos és Munkácsi: A belviszonyragok használata a magyarban. 1 K. — V. Vámbéry: A magyarok eredete és a finn-ugor nyelvészet II. 1 K. — VII. Thury J.: A kasztamuni-i török nyelvjárás. 1 K. — VIII. Télyf: Nyelvészeti tanulmányok a mai görögöknél. 40 f. — IX. Kálmány L.: Boldogasszony, ősvallásunk istenasszonya. 40 f. — X. Brassai: A mondat dualismusa. 1 K 20 f. — XI. Gr. Kuun G.: A kunok nyelvéről és nemzetiségéről. 80 f. — XII. Ábel J.: Isota Nogarola. 1 K. (1884—1885.) — XIII. k. I. Heinrich G.: Kúdrun, a monda és az eposz. 80 f. — II. Barna F.: A votják nép multja és jelene. 60 f. — III. Goldziher I.: Palesztina ismeretének haladása az utolsó három évtizedben. 80 f. — IV. Ábel J.: A homeroszi Demeter-hymnusról. 1 K. — V. Barna F.: A votjákok pogány vallásáról. 40 f. — VI. Szarvas Gábor: A régi magyar nyelv szótára. 20 f. — VII. Budenz J.: Egy kis visszhang Vámbéry Armin úr válaszára. 40 f. — VIII. Szily K.: Ki volt Calepinus magyar tolmácsa. 20 f. — IX. Bogisich M.: Szegedi Lénárt énekeskönyve. 1 K. — X. Joannovics: Szőrenyi tanulmányok. I. rész. 60 f. — XI. Pecz V.: A kisebb görög tragikusok tropusai. 20 f. — XII. Télyf: Heraclius Rankavis Leon hellén drámája. 60 f. (1885—1886.) — XIV. k. I. Ábel J.: Az ó- és középkori Terentius biographiák. 80 f. — II. Joannovics: Szőrenyi tanulmányok. II. rész. 80 f. — III. Barna F.: A mordva nép házassági szokásai. 60 f. — IV. Télyf: Jelentés újhellen munkákról. 60 f. — V. Kálmány L.: Mythologiai nyomok a magyar nép nyelvében és szokásaiban. 20 f. — VI. Putnok M.: Etymologium magnum Romaniae. 40 f. — VII. Simonyi: A magyar szótók. 60 f. — VIII. Simonyi: A nyelvújítás történetéhez. 40 f. — IX. Brassai: Szőrend és accentus. 80 f. — X. Télyf: Három francia hellenista és a volapük. 40 f. (1887—1889.) — XV. k. I. Dr. Schreiner M.: Az iszlam vallásos mozgalmak az első négy században. 60 f. — II. Haraszi: André Chénier költészete. 3 K. — III. Simonyi: Kombináló szóalkotás. 80 f. — IV. Hunfalvy P.: Az aranyosszéki mohácsi nyelvmélekek. 30 f. — V. Zichy A.: Psychiatria és politika. 20 f. — VI. Télyf: Újabb hellén munkák és a hellén nyelvtanítás. 1 K 20 f. — VIII. Asbóth O.: A hangsúly a szláv nyelvekben. 1 K 60 f. — X. Télyf: Kisfaludy Károly «Mohács»-a görögül. 80 f. — XI. Dr. Kégl S.: Tanulmányok az újabbkori persa irodalom történetéből. 3 K. — XII. Gróf Kuun G.: Újabb adatok a kún Petrarca-Codexhez. 30 f. (1889—1892.) — XVI. k. I. Finály: A besztercei szöszedet. 4 K. — VII. Szamota I.: A Murelius-féle latin-magyar szójegyzék 1533-ból. 1 K. — VIII. Hegedüs I.: Guarinus és Janus Pannonius 1 K 60 f. — IX. Dr. Kúnos I.: Kisázsia török dialektusairól. 90 f. — X. Hegedüs I.: Dicsének Jacobus Ant. Marcellusra. Irta Janus Pannonius. (1892—1897.) — XVII. k. I. Dr. Mahler: Egyiptologiai tanulmányok a choronologia köréből. 30 f. — III. Kégl S.: A perzsa népdal. 90 f. — IV. Melich J.: Melyik nyelvjárásból valók a magyar nyelv régi német jövevényszavai? 1 K 20 f. — V. Kozma F.: Brassai Sámuel mint esztétikus és műkritikus. 2 K. — VI. Dézsi L.: Sz. Ágoston reguláinak magyar fordítása Coelius (Bánffy) Gergelytől. 2 K. — VII. Vadnai: Czákó Zsigmond ismeretlen drámái költeménye. 30 f. — VIII. Gyomlay: Szent István veszprémvölgyi donatiójának görög szövegéről. 1 K 20 f. — IX. Mahler: Adalékok az egyiptomi nyelvhez. 60 f. — X. Id. Szinnyei J.: Az első magyar bibliographus. 60 f. (1898—1901.) — XVIII. k. I. Gyomlay: Böles Leo Taktikája mint magyar történelmi kútforrás. 1 K. 20 f. — II. Katona L.: Temesvári Pelbárt Pélái. 1 K 20 f. — III. Némethy G.: A római elegia viszonya a göröghöz. 48 f. — IV. Thury J.: A «Behdset-ül-Lugat» csagatáj szótár. 1 K 20 f. — V. Katona L.: Alexandriai sz. Katalin legendája középkori irodalmunkban 1 K 60 f. — VI. Dr. Cserép J.: Határidőszámítás a rómaiaknál. 40 f. — VII. Thury J.: Török nyelvmélekek a XIV. század végéig. 1 kor. — VIII. Szilasi M.: Adalékok a finn-ugor palatalis mássalhangzók történetéhez. 1 kor. — IX. Kégl S.: Szenáji. 3 kor. — X. Katona L.: A Teleki-codex. 1 kor. 60 f. — XIX. k. I. Bayer: Egy magyar Eszther-dráma. 60 f. — II. Haraszi: A renaissance francia színiköltészete és a színszerűség. 1 kor. 20 f. — III. Thury J.: A közép-ázsiai török irodalom. 1 kor. 50 f. — IV. Melich J.: A brassói latin-magyar szótár-töredék. 60 f. — V. Pecz V.: A classica philologia jövője. 60 f. — VI. Hegedüs I.: Petrarca «Szózatja». 50 f. — VII. Kúnos I.: Áda-Kaléi török népdalok, fordítással és jegyzetekkel. 2 kor. — VIII. Cserép J.: O. Julius Cæsar commentariussainak folytatásai és Asinius Pollio. 80 f. — IX. Melich J.: Szikszai Fabricius Balázs latin-magyar szójegyzéke 1590-ből. 3 K. — X. Kégl Sándor: Dselál ed-Din Rûmî négy soros versei. 1 K 50 f. — XX. k. I. Ferenczi Zoltán: Petöfi és a szocializmus. 1 K — II.

Schmidt J.: Az itáliai nyelvesalád helyzete az indogermán nyelvek körében. 1 K 50 f. — III. *Asbóth Oszkár*: Szláv jövevényszavaink. (I. rész.) 2 K. — IV. *Melich J.*: Révai Miklós nyelvtudománya. 1 K. — V. *Némethy Géza*: Ovidius és Lygdamus. 1 K. — VI. *Geyza Némethy*: De epodo Horatii cataleptis Vergilii inserto. 1 K. — VII. *Goldziher Ignác*: Uri János. 30 f. — VIII. *Horváth Cyrill*: Joannes Vercellensis és a magyar Margit-legenda. 90 f. — IX. *Vári Rezső*: A ciliciai Oppianus Halientikájának kézirati hagyománya. I. (bevezető) rész. — X. *Asbóth Oszkár*: A *j > gy* változás és hazai szlovének nyelvében és a dunántúli magyar nyelvjárásokban. 1 K 20 f. — XXI. k. I. *Geyza Némethy*: De Ovidio Elegiæ in Messallam auctore. 60 f. — II. *Váczy János*: A nyelvújítás győzelme. 1 K 60 f. — III. *Hegedüs István*: Menander redivivus. 2 K 80 f. — IV. *Némethy Geyza*: De sexta Vergilii ecloga. 60 f. — V. *Kégl Sándor*: Bhagavadgitá. 80 f. — VI. *Darkó Jenő*: A magyarokra vonatkozó népnevek a bizancki íróknál. 1 K 80 f. — VII. *Császár Elemér*: Bessenyei akadémiai törekvései. 1 K 50 f. — VIII. *Bleyer Jakab*: Hazánk és a német philologia a XIX. század elején. 2 K. — IX. *Némethy Geyza*: P. Vergilii Maronis Catalepton. 60 f. — X. *Kégl Sándor*: Emir Khoszrev. 80 f. — XXII. k. I. *Kallós Ede*: Megjegyzések és excursusok Archilochoshoz I. (Trimeterek, tetrameterek, elegiák.) 2 K. — II. *Bayer József*: Schiller drámái a régi magyar színpadon és irodalmunkban. (Székfoglaló.) 2 K. — III. *Vári Rezső*: A ciliciai Oppianus Halientikájának kézirati hagyománya. II. (érdemleges) rész. I. fele. 2 K. — IV. *Badics Ferencz*: Gyöngyösi István ismert és ismeretlen költeményei. (Székfoglaló.) 2 K. — V. *Schmidt József*: Kisérlet az idg. gutturális probléma megoldására. 2 K. — VI. *Rácz Lajos*: Rousseau és Sauttersheim. 1 K 50 f. — VII. *Császár Elemér*: A német költészet hatása a magyarra a XVIII. században. 3 K. — XXIII. k. I. *Jánosi Béla*: Szerdahelyi György æsthetikája. 1 K 50 f. — II. *Szinnyei Ferencz*: Jósika Miklós. 2 K 40 f. — III. *Simonyi Zsigmond*: Jelentéstani szempontok. 1 K. (Sajtó alatt). — IV. *Darkó Jenő*. Bölcs Leó Taktikájának hitelessége magyar történeti szempontból. 2 K 60 f. — V. *Hegedüs István*: Schesæus Ruinae Pannonicae cz. epikus költeménye. 60 f. — VI. *Jánosi Béla*: Schedius Lajos æsthetikai elmélete. 1 K 50 f. — VII. *Fest Sándor*: Angol irodalmi hatások hazánkban Széchenyi fellépéséig. 3 K.

Megrendelhetők, a mennyiben még készletben vannak, a Magyar Tud. Akadémia Könyvkiadó-hivatalában Budapest, V. Akadémia-utca 2.